

SYNOPSIS TREMANDREARUM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS BOTANICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

GEORGIA AUGUSTA

UT SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE ADIPISCERETUR

SCRIPSIT

THEODORUS SCHUCHARDT,

SILESIUS.

GOTTINGAE, MDCCCLIII.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER)

ALEXANDRO BRAUN

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

ET

J. G. C. LEHMANN

FAUTORI AESTIMATISSIMO

HASCE PAGELLAS ANIMI GRATISSIMI PUBLICUM MONUMENTUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Dum hasce studiorum meorum primitias botanicis benevolis timide tradere audeo, simul indulgentiam quam maximam ab iis peto. Pagellarum sequentium scribendarum ansam mihi praebuit mandatum Sonderi V. Cl., plantarum Müllerianarum perscrutatoris indefessi et sagacissimi, qui mihi adtulit Tremandreas, a Müllero V. Cl. in Nova Hollandia meridionali lectas, ut eas investigarem et describerem. Gratias sinceras quam maximas publice ago fautoribus aestimatissimis, qui mihi herbaria et collectiones cum liberalitate benignissima semper patefecerunt et cum humanitate ac amicitia in investigandis Tremandreis explicationibus me adjuverunt. Inprimis celeberrimo J. G. C. Lehmanno, intimo ex animo gratias omni tempore referam, qui in herbariis suis splendidissimis analyses specierum plurimarum instituere me jussit; non minus Klotzschio illi, qui cum benevolentia maxima, quam omnes botanici satis cognoscunt, mihi Tremandreas Musei Regii Berolinensis misit, itidem Sondero, cujus herbarium copiositate specierum plurium insigne est, et Steetzio, elaboratori celeberrimo Tremandrearum Preissianarum.

Si quid novi sub tot ac talium virorum clarissimorum auxiliis et auspiciis in hisce pagellis invenitur, vel si quid accuratius composuerim vel melius constituerim, id non tam meum (certe minimam partem) quam illorum est. —

Nonnulla de pagellarum ratione indicare, supervacaneum, historia abbreviata detectionis generum et specierum omnium huc usque cognitarum non sine oblectatione mihi esse videbatur, quam ob causam eam breviter composui, adjunctis notationibus virorum illustrissimo-

rum, quorum collectionibus missis floram australasiaticam cognovimus. Tradam ergo in hoc libello paragraphos, quae sequuntur:

I. Characterem familiae differentialem,
II. Characterem familiae naturalem,
III. Tremandrearum affinitates,
IV. Patriam Tremandrearum,
V. Historiam detectionis Tremandr.
VI. Conspectum Tremandr.
VII. Tremandrear. Genera et species.

TREMANDREAE Rob. Brown.

I. CHARACTER FAMILIAE DIFFERENTIALIS.

Vegetabilia vascularia, dicotyledonea, diplochlamydea, dialypetala, hypogyna, aestivatione valvacea, syncarpa; ovario integerrimo; placenta ex dissepimento carpophyllorum duorum formata; seminibus pendulis in fructu capsulari, albuminosis; embryone cylindrico axili, radicula hilum spectante. —

II. CHARACTER FAMILIAE NATURALIS.

A. Organa Vegetationis.

Radix teres, fusiformis, ramosa vel ramosissima, nunquam fasciculata, descendens, perennis, hinc inde praesertim versus apicem radicis primariae vel ramorum fibrillas emittens, cortice scabriusculo cinereo- fuscescente obtecta.

Caulis exogenus, frutescens, solidus, lignosus, vel herbaceus, virgatus vel foliaceus (Juncorum habitu), rarius simplex, plerumque ramosus vel ramosissimus, erectus vel diffusus adscendens, propter folia delapsa articulatus, rarissime prostratus, altitudine varia, inde a pollicibus quatuor usque ad altitudinem pedum duorum vel trium, teres, vel semiteres, vel anceps, vel compressus, saepissime pilis vel setis glandulosis vestitus, rarius glaber vel pube stellata tomentosus. Nodi caulini cicatricibus foliorum delapsorum penicillati, vel pilis setisque formae variae notati. Caulis specierum plurimarum (Sect. Juncei in gen. Tetratheca except.) cortice bruneo, vel cinereo, fusco, minus magisve rugoso-verrucoso-striato in formis pluribus obtectus, aut foliis terminatus aut deliquescens. Rami alterni, vel oppositi, rarius verticillatim dispositi. Structura anatomica caulis ramorumque eadem est ut in omnibus dicotyledoneis.

Folia evaginantia, persistentia vel decidua, plerumque sessilia, vel in petiolum brevissimum attenuata, rarissime brevissime petiolata (gen. Tremandra), nervo primario valido, superne fere inconspicuo, subtus prominulo (nervi secundarii solum in Tremandr. subtus paullo prominentes) instructa, plerumque uninervia, in Tremandr. reticulata venosa; simplicia, linearia, lanceolata vel ovato-lanceolata, deltoidea, cuneata, suborbicularia, ovalia, margine integerrimo, vel remote obtuse dentata, vel subundulata, vel subcrenulata, vel basi subcordata,

saepissime margine paullo revoluta, in gen. Platytheca tali gradu ut folia teretia appareant, rarissime (in caulibus virgatis sive foliaceo-compressis) minutissima, squamaeformia, subcoriacea vel coriacea, crassa, carnosa, glaberrima, vel pilosa, setosa, glandulosa, pilis stellatis tomentosa, vestimento valde varia, plerumque stipulata, alterna, vel opposita vel verticillata, verticillos tri — dodecaphyllos formantia, sparsa, vel approximata. Dispositio in speciebus nonnullis $^2/_5$ vel $^3/_8$ mihi esse videtur, in plurimis speciebus legem phyllotax. indicare non audeo; inferiora semper majora, superiora sensim angustiora et minora, approximatiora vel confertim disposita.

Stipulae plerumque duae, rarius solum stipulam unam observavi, gen. Tremandra stipulis caret; angustissimae, minimae, membranaceae vel herbaceae deciduae, vel persistentes, purpurascentes, roseae vel viridi-flavescentes.

Vestitus partium omnium maxime variat. Observare potes plantas caulibus, ramis, foliis, pedicellis, calycibus, ovariis etc. setosis, setulosis, hispidis, hispidulis, hirsutis, hirsutiusculis, pubescentibus, pilosis, pilosiusculis, puberulis, villosis, velutinis vel pilis stellatis vel pilis glanduliferis obtectas. Superficies quoque variat. Vidi plantas organis singulis scabris, scabriusculis, rugosis, verrucosis vel laevibus vel laevissimis. —

In speciebus duabus viventibus a me investigatis succum aqueum insipidum inodorumque reperi.

B. Organa reproductionis.

Inflorescentia centripeta, plerumque racemiformis, racemum aut laxum aut congestum formans. (In speciminibus pluribus T. pilosae inflorescentia fere corymbus vel glomerulus laxus oligophyllus nominanda est). In Tetr. pilifera flores axillares verticillatim dispositi sunt.

Pedicelli semper axillares, plerumque solitarii, rarissime bini, vel oppositi, vel foliorum dispositione terni, quaterni, glaberrimi, vel gradu diverso vestiti, flavescentes, viridescentes vel purpurascentes, laeves vel striati, apice interdum incrassati.

Flos penta- vel tetramerus, (in unico flore specimin. Müllerian. Tetr. ciliat. Lindl. florem trimerum observavi) ex 4—5 sepalis, 4—5 petalis cum illis alternantibus, 8—10 staminibus petalis oppositis uni- vel biserialibus ac duobus carpophyllis formatus. Dispositionem duorum exteriorum floris verticillorum sine ullo dubio $^2/_5$ recognovi. —

Calyx persistens, polysepalus, sepala singula per aestivationem marginibus obsolete valvata, post anthesin reflexa vel erecta, plerumque uni- vel trinervia, rarissime quinquenervia, glabra, vel extrorsum, introrsum vel marginibus vestitu valde vario obtecta, apice interdum mucronulata, ovata, acuminata, vel lanceolata, foliacea vel membranacea, basi paullo connata in gen. Tremandra, rubescentia vel viridia, semper petalis breviora.

Corolla polypetala, hypogyna, praefloratione induplicata, regularis, persistens, aut versus capsulae maturitatem vel jam post foecundationem decidua, membranacea, colore lilacino-rosea, vel purpureo-rosea, vel saturrime purpurea, laete-rosea, vel alba. Petala obovata, obtusata, mucronulata, acutiuscula, basi attenuata, saepius macula purpu-

rea vel atropurpurea notata, rarissime brevissime unguiculata, interdum ungue brevi barbato instructa, plerumque quinquenervia, patentia, decidua, vel stamina geminatim segregata involventia vel non includentia.

Stamina 8 vel 10, erecta, supra conniventia, petalis semper geminatim opposita, hypogyna, omnino libera, omnia fertilia, uniserialia vel biserialia. In staminibus biserialibus series externa serie interna brevior est, series interna alternat cum serie exteriore et petalis. Stamina uniserialia in alabastro florum gener. Tetrathecae bina a petalo quovis ejus marginibus evolvuntur. In gener. Platytheca stamina biseriatim disposita sunt, duo stamina ante quodvis petalum invenis sed ab ejus marginibus non attinguntur. In gener. Tremandra res ita ut in Tetratheca dixi se habet.

Filamenta aut filiformia, subteretia, aut crassiuscula, compressa, plana, in gen. Platytheca filamenta staminum seriei exterioris paullo dilatata mihi videbantur, adscendentia, vel fere horizontalia, vel magis arrectiuscula, cum antheris continua, vel (in gen. Tremandra) c. antheris articulata.

Antherae quadriloculares, vel biloculares, subcylindricae, paullo compressiusculae, obsolete quadrangulares; loculi in antheris quadrilocularibus uniseriatim vel biseriatim dispositae, superne in tubulum longitudinis variae productae; antherae biloculares etubulatae. Antherae in gen. Tetrathec. lateribus sulcatae, loculi exteriores interioribus multo minores, in genere Platytheca extrorsum longitudinaliter trisulcatae; — levissime rugulosae, verruculosae, striatae, laeves, glabrae, vel praesertim basi pilis mollissimis ciliatae, in gen. Tremandra biloculares, lateribus dorso et ventre sulcatae obtuse quadrangulares, tubulo destitutae, poro apicis pollen emittentes. Antherae cum filamentis plerumque concolores, atrosanguineae, atro-purpureae, purpureo-luridae, vel flavae. Dissepimenta loculorum in gen. Tetratheca tenuissima, jam ante pollinis emissionem rumpentia, tum antherae spurio tri- vel biloculares apparent.

Tubulus antherarum longitudine varia, vel longitudine filamenti i. e. $^1/_4$—$^1/_2$ lin., vel anthera brevior, vel antherae longitudine, vel antheram duplo triplove superans; basi setulosus vel rugosus, vel laevis et glaber, purpurascens, medio et versus apicem semper flavescens, glaberrimus. Apice oblique truncatus, poro amplo, per quem pollinis grana emittuntur, instructus.

Pollen subglobosum in gen. Tetratheca, in gen. Platytheca tetraedriforme, laevissimum, in Tremandra subovale, in omnibus generibus flavum.

Ovarium unicum, integerrimum, ex binis (anomalia quadam ignota ex tribus) carpophyllis institutum, sessile, biloculare, placenta e marginibus connatis carpophyllorum formata; loculi uni- vel biovulati. Ovarium compressum, obovatum, suborbiculare, pyriforme, apice paullo emarginatum; basi interdum minus magisve attenuatum, viride, vel roseum, vel flavescens, glabrum vel diverse vestitum, compressum.

Stylus simplicissimus, rectus vel tortuosus, flexilis, paullo supra basin geniculatus et iterum sursus plicatus, basi paullo dilatatus, pi-

losus vel glandulosus, medio et apice semper glaberrimus, flavescens, laevissimus vel utrinque longitudinaliter sulcatus.

Stigma simplex, flavo-viride, acutiusculum, obtusatum, vel apice incrassatum, capitellatum.

Ovula in gen. Platytheca, et plurim. Tetrathec. speciebus semper unica in quovis ovarii loculo, bina in gen. Tremandra, in Tetr. ciliata et nonnullis gen. Tetrathec. speciebus, anatropa, integumentis duobus obtecta, solitaria, in angulo interno superiore funiculo brevissimo appensa, bina superposita, rarissime terna, quorum superiora duo collateralia, ex apice dissepimenti pendula, rhaphe instructa. Rhaphe in gen. Tetratheca et Tremandra in appendicem cellulosam apice intus curvatam elongata, ovula loculum totum occupantia.

Fructus capsularis, ovalis, pyriformis, saepius stylo persistente coronatus, compressiusculus, bilocularis, loculicide bivalvis, valvis medio septiferis, glaber vel pilosus.

Semina pendula, non nisi unica in quovis capsulae loculo observavi, (loculus biovulatus abortu ovuli inferioris monospermus), inversa, albuminosa, testa fragili brunea instructa, appendiculata vel nuda arillata, arillus membranaceus ciliatus supra appendicem carnosam elongatus. Albumen carnosum, albo-flavescens. Embryo axilis, albumine duplo brevior, rectus; radicula hilum spectans; candiculus teres cotyledonibus triplo longior; cotyledones obtusae, incumbentes, gemmulam inconspicuam tegentes. Fructus Platythecae et Tremandrae ignoti sunt.

Germinatio ignota.

De Momentis physiologicis ac morphologicis nonnullis tradidi alio loco. —

III. AFFINITATES TREMANDREARUM.

Inprimis ad statum singularem hujus familiae in systemat. plantarum naturali botanicorum animum adtendere audebo.

Analogia vera cum alia quadam familia huc usque frustra quaesita est, tantum de adpropinquatione ad Polygaleas nonnulla argumenta proposita sunt, quum in hebdomad. elapsis Steetzio amicissimo contigit affinitatem Tremandrearum veram cum Lasiopetaleis reperire.

Analogia cum Polygaleis (quibuscum tribum natural. Polygalinar. componunt) in germinis fructusque constructione investiganda est. In utraque familia germen biloculare, compressum invenire potes (perpaucae Polygalearum species germine non compresso gaudent). Fructus capsula loculicida in Polygaleis et Tremandreis, loculi plerumque in utraque familia uniovulati, (perpaucae generis Tetrathecae Sm. loculis biovulatis gaudent). Funiculus in speciebus utriusque familiae brevissimus, ovula anatropa, integumentis duobus vestita. Semina pendula, loculum totum occupantia. Antherae aut in tubulum longitudinis variae superne productae aut etubulatae, semper poro terminali instructae.

In reliquis hae familiae valde divergunt. Tremandreae coroll.

regular. aestivatione valvata, Polygaleae corolla irregulari aestivatione imbricata gaudent. Inprimis in staminum constructione, structura ac dispositione inter se differunt. Tremandreae antheras omnino liberas, bi- vel quadriloculares et filamenta crassiuscula rarius filiformia habent, Polygaleae filamentis dilatatis inter se connatis, uni- vel bilocularibus gaudent, qua de re stamina diadelpha a cl. Linnaeo signata et ab ipso Polygaleae in Cl. XVII collocatae sunt.

Affinitatem Tremandrearum cum Lasiopetaleis Steetzius clar. nuperrime in opere (Die Familie der Tremandreen und ihre Verwandtschaft zu den Lasiopetalen) fusius exposuit.

IV. PATRIA TREMANDREARUM.

Si familiae rationibus phytogeographicis perscrutandis operam damus, tria momenta inprimis consideranda habemus, extensionem, distributionem et stationem. Extensio specierum patriam tractat, distributio individuorum singulorum seu speciminum patriam exponit, ex ea formationes physiognomicae intelligi possunt; statio conditiones locales, ex quibus familiae vegetatio pendet, perscrutatur. Extensionis igitur studium procedit mathematice, distributionis geographice, stationis physiologice. —

1. Extensio Tremandrearum.

Species familiae Tremandrearum adhuc solum in Nova Hollandia et in insulis Van Diemen, sive Tasmannia lectae sunt, attamen suspicandum est, eas etiam in insula Nova Zeelandia, quae cum Australasia fere eadem flora gaudet, inveniri.

Australia minima mundi partium nobis maximam partem plane terra incognita est. Postquam ex Anglia in litore australi coloniae deportatoriae conditae sunt et in litore meridionali-occidentali Europaei domicilia ponere inceperunt — inprimis postquam in ora meridionali in annis proxime elapsis detectione auri et aliorum metallorum permulti emigratores omnium populorum hic sedes quaesiverunt et colonias condiderunt, nobis admissae sunt notitiae copiosiores illius terrae.

De configuratione extensioneque litorum accuratissimas tabulas geographicas studiis collegii supremi quod praeest rebus navalibus Britannicis accepimus. Interiora hujus terrae omnino incognita sunt ut ne conjecturam quidem nobis proferre liceat. Nonoisi districtus litorales ab Europaeis (littora borealia inaccessibilia excepta) visitati sunt. Conditio terrae varietatibus majoribus expers est. Montium tractus extensiores, non minus quam flumina majora omnino desunt. Fluminum maximum australasiaticorum Visurgi vel Spreae adaequat. De his vero institutionibus non simpliciter in vegetationis naturam argumentandum est. Flora Novae Hollandiae, quousque nobis cognita est, curiosa et mirabilia permulta complectitur. Certis notis nonnullis quatuor florae inter se diversae dignoscendae sunt, scilicet,

1. flora regionum occidentalium (quae est ditissima).
2. flora meridionalis.

3. flora orientalis.
4. flora Insulae Tasmanniae.

In qualibet flora aliquae formae singulares solum huc referendae, lectae sunt. — Tremandreae, nec non Stackhouseae solum in Australia gignuntur, maximam partem locum suum in Nova Hollandia habent Myrtaceae, Proteaceae, Stylideae, Epacrideae, Casuarineae, Myoporineae, Dilleniaceae, Lasiopetaleae, Goodeniaceae, Xantorrhoeae, Pittosporeae et Mimoseae. In familiis nonnullis, scilicet Diosmeis, Leguminosis, Compositis, Haemodoraceis, Restiaceis, Cyperaceis et Graminibus transitiones et consensiones in floram Africae meridionalis extratropicae — in Trichodesmio ceylanic. approximationem ad floram Indiae orientalis, in Araucaria et Lomatiis ad floram Americae meridionalis cognovimus. Clarissimus investigator florae australasiaticae Robertus Brown 45 species denuo invenit, quas etiam in Europa legerat.

Numerus stirpium florae Novae Hollandiae circiter 7500 aestimatur. Rob. Brown ex herbariis Banksian. Menzies. et propriis jam 4200 cognovit, L. Preiss 1500 plantas novas non descriptas adtulerat, et Drummond, Müller et alii fere 2000 species collegerunt.

Nova Hollandia occupat locum longitudine 600, latitudine 500 milliariorum, a decimo usque ad quadragesimum gradum latitudinis meridion.; cum insula Tasmannia inclusa vero usque ad 44° l. m. et 130—170° long. orient. ab insul. Ferro, ex quo cognoscitur, ejus partes boreales intra circulum tropicum capricorni sitas esse. In his regionibus tantum paucae Tremandreae lectae sunt, quia litora borealia, boreali-occidentalia nec non boreali-orientalia fere nondum ab investigatoribus visitata sunt. Illae species Tetratheca glandulosa Lab. et pilosa Lab. sunt. Suspicor, has species duas a Labill. ipso in illis regionibus tropicis lectas esse, qui (ut notum est) detectiones suas quoque in partes Novae Hollandiae dictas protulerat. Specimina vidi in Herb. Reg. Berolin. Illae relationes vero non consentiunt cum cl. Brownii observationibus phytogeographicis, qui tantum in regione extratropica Tremandreas legerat.

Novae Hollandiae extratropicae cognoscimus accuratius et melius oram orientalem ab 31° l. m. — 36° l. m., oram meridional. a 150—158° long. or. 162—165° long. or. et oram meridionali-occidental. a 31—36° lat. merid. et 133—136° long. orient. Nonnulli investigatores indefessi et impavidi ab aliquibus oppidis litoralibus, Sidney exempli causa, itinera in interiora Novae Hollandiae suscipere tentaverunt, nullus vero superavit difficultates obstantes invictas, civium nostratium unus, celeb. Leichardtus impetum suum literarium in tali itinere pro dolor morte praematura luit.

In locorum Tremandrearum hucusque cognitarum contemplatione reperimus, nonnullas species non nisi in ora orientali, alias in ora meridionali, plurimas in ora meridionali-occidentali gigni; nulla earum litoribus tribus communis esse videtur, plures vero species in ora orientali simul ac in ora meridionali lectae sunt nec non aliae species orae meridionali, orientali et insulae Tasmanniae communes sunt.

Nonnulla de singulis regionibus commemorari, oportet.

A. Regio tropica.

Species duae generis Tetrathecae, ut jam dixi, in regionibus tropicis lectae sunt, quae vero etiam in regionum extratropicarum oris pluribus proveniunt. In Mus. Reg. Berol. vidi specimen Tetrath. glandulosae Lab. signatum „Ex Herb. Kunth“ qui accepit indiciis propriis a Willdenowio, — lectum in Cap Vandiemen. — Eadem notatione specimen Tetr. glandulosae Lab. gaudet. — Cap van Diemen promontorium occidentali-boreale insulae Melville est, orae boreali australasiaticae sub 11° gr. lat. mer. situm. — Non suspicari audeo, clariss. Kunth. et Willdenow. hoc promontorium cum insula Van Diemen confudisse. In omnibus Tethrathecae speciebus Herbarior. Kunth. ac Willdenov. in hac insula lectis distinctissimam designationem „ex insula Van Diemen“ legere possumus.

B. Regio extratropica.

Regiones extratropicae fere eadem zona inter 33—35° lat. merid. sunt, quam cl. Brown in „Remarks in Flinders Voyage to terra Australis London 1814. Vol. 2. Append. Nro III. p. 538“ nomine „Hauptparallele“ signat. Quod attinet ad has regiones, in eis omnes adhuc cognitae Tremandreae lectae sunt.

Species generum Tremandrae et Platythecae non nisi in ora meridionali-occidentali gignuntur. Cl. Candolleus in errorem parvum incidit quum Prodr. I. 344 Tremandr. diffusam in ora orientali lectam esse, citavit. Confer. Steetz in Lehmann Plant. Preiss. Vol. II. p. 235.

Tetrathecae generis species in oris quae sequuntur distributae sunt. Non nisi in ora orientali T. juncea Smith T. denticulata Sieb. T. thymifolia Sm. crescunt, tantum in oris meridionalibus, orientalibus nec non in meridional.-occidentalib. T. ericaefolia Sm. provenit; in ora orientali meridionali, boreali quoque et in insula Van Diemen T. pilosam legere potes; in ora orientali ac boreali nec non in insula Van Diemen T. glandulosa Lab. lecta est. Solum in litore meridionali T. ciliata Lindl., calva F. M. α et γ et baueraefolia F. M. crescunt, Tetr. calva form. β in insula van Diemen quoque provenit. Plurimae hujus generis species in ora meridionali-occidentali gignuntur, scilicet T. affinis Endl. T. nuda Lindl. T. virgata Steetz T. confertifolia Steetz T. setigera Endl. T. elongata mihi T. gracilis Steetz T. viminea Lindl. T. hispidissima Steetz T. epilobioides Steetz T. rubriseta Lindl. T. pilifera Lindl. T. micrantha mihi. Haec omnia sunt, quae commemoranda sint.

2. Distributio Tremandrearum.

De plantarum distributione in Nova Hollandia perpauca adhuc nobis relata sunt. Omnes collectores in annis praeteritis praetermiserunt descriptionem conditionum locorum investigatorum. Ludovic. Preiss primus erat, qui nobis tradidit explicationes copiosiores de terris peregrinatis, respexit enim naturam plagarum ubi plantas legit nec non qualitates geognosticas in oculos traxit, an planities, an collis, an humida, an sicca, an umbrosa etc. et notationes ejusmodi stirpium lectarum nominibus adjungebat.

Modus crescendi Tremandrearum notatu dignus est. Specimina turmatim gignuntur inter fruticulos alios densos, nunquam gregatim, vel plagas vastas tegentia. Turmae illae numquam approximatae, minus magisve a se distantiores observatae sunt. Modus dictus crescendi fere omnium suffruticum vel fruticulorum dicotyledonearum australasiaticarum perpetua varietate sua animos terras Novae Hollandiae contemplantium ac peregrinantium jucunde afficit. Tremandreae modo dictae cum Diosmeis, Stylideis, Goodeniaceis, Lasiopetaleis ac plurimis Papilionaceis nonnullisque monocotyledonearum familiis promiscue proveniunt in locis arenosis et humidis non solum planitiei sed etiam montium colliumque; in apricis vel in sylvis umbrosis sub Casuarineis, Eucalypteis et aliis majoribus arboribus, quibus Australia in universum caret; attamen crebrius in locis montosis sterilioribus arenosis nec non in planitiebus fruticetis virgultisque obtectis, quam in pagis fertilioribus et haud procul a maris litoribus. In locis salinis Tremandreae non proveniunt, cl. Müllerus nullam hujus familiae speciem circa lacum Torrens legit. Confer. Otto, Hamburger Blumen- und Gartenzeitung Juli 53. p. 339. In locis limosocalculosis Tetr. virgata, T. epilobioides et T. micrantha, in locis turfosis T. setigera et Tremandr. stelligera, in locis arenosis et confragosis T. elongata, T. gracilis, T. viminea, T. hispidissima, T. pilifera, T. rubriseta, T. nuda, T. hirsuta et gen. Platythecae species lectae sunt.

In Nova Hollandia meridionali montes calcarei cum terra argillosa alternante observati sunt, flumen Murray pro maxima parte cursus sui per regiones calcareas fluit, in Australasia meridional.-occidentali montes aut saxis plutonicis aut neptunicis formati sunt. Vidi lapides basalticos et syeniticos ex his regionibus, quos Preiss adtulerat. In ejus collectionibus mineralia permulta ex formationibus primigeniis nec non ex formationibus transitoriis contemplari potes.

Tetratheca ericaefolia, T. pilosa et T. calva non solum in montibus sed etiam in planitie inveniuntur, attamen hae tres species regiones montosas praeferre mihi videtur, in montium altitudine solum T. epilobioides, T. pilifera, T. confertifolia, nec non T. ciliata et baueraefolia lectae sunt; de Tremandra diffusa, Tetr. juncea et T. denticulata et T. thymifolia nusquam notationes accuratas de locorum natura reperire potui. — Restat, ut pauca de Tremandrearum florescentia addam. Tremandreae, quarum florescentiam non nisi e Preissii nec non Mülleri litteris intelligimus, mensibus Augusto usque ad Decembrem florent, plurimae species mensibus Septembre et Octobre floribus gaudent, confertifolia Novembre, gracilis ac viminea γ setosa exeunte Decembr. florent. Müllerus jam medio Aprili T. calvam γ hispidulam in planitie versus lacum Victoriae in Austral. meridionali florentem legit; Tetr. pilifera exeunte Junio versus caput fluvii Cygnorum, nec non Platyth. galioides medio Julio a cl. Preiss. cum floribus lectae sunt.

3. Statio Tremandrearum.

De Statione Tremandrearum perpaucas indicationes in novissimis cl. Muelleri litteris legimus, quas in capitul. praecedente, de Tremandrearum distributione carptim communicavi.

Haec fere sunt omnia, quae de patria Tremandrearum notatu digna esse mihi videbantur.

V. HISTORIA DETECTIONIS TREMANDREARUM.

Numerus generum et specierum hujus parvae familiae usque ad annum 1840 minimus erat. Itineribus novissimis Anglorum Germanorumque nonnullorum ille numerus plus quam triplo auctus est. — Genera primo nota Tetratheca et Tremandra erant. Tetratheca a cl. Smith, Tremandra ab ill. R. Brown exposita est. Usque ad annum 1824 quo anno Candolleus volumen primum Prodromi sui edidit, in quo Tremandreas ipse elaboraverat, botanici ex collectionibus splendidissimis Brownii (qui conjunxerat Herb. Banksian. Menziesian. Burton. et alia cum proprio et Bauerian.) Billardierii et Smithii non nisi species quinque generis Tetrathecae nec non species duas gener. Tremandreae cognoverunt. Hae sunt species tum notae gener. Tetrathecae in Prodr. Vol. I p. 343 breviter descriptae: T. juncea Smith. T. glandulosa Lab. T. pilosa Lab. T. ericaefolia Smith. et Th. thymifolia Smith. Omnium icones exstant. Labillardierus T. glandulosam optime in opero suo: Novae Hollandiae plantae Vol. I. tb. 122. delineavit; Smith in opere: A specimen of the botany of New-Holland. tb. 2. T. junceam delineavit, in Exotic. Botany Vol. I. invenis tb. 22. Th. thymifoliam Sm., tb. 21. T. glandulosam Sm. i. e. T. pilosam Lab. tb. 20. T. ericaefoliam Sm. iconibus coloratis illustratas. Rudge quoque in Transactions of the Linnean Society Vol. VIII. T. pilosam Lab. et T. ericaefoliam Sm. iconibus illustravit et descripsit. — Sieberus indefessus cum speciebus pluribus jam notis novam speciem legit, quam sub nomine T. denticulatae Sieb. notam fecit. (Diagnosin brevissimam in Sprengel System. Vegetab. Vol. IV. p. 2. p. 147. comparavi) et sub Nro 236 in Herb. Flor. Holland. distribuit. In Herbariis Sieberianis Tetrath. ericaefolia Sm. sub Nro 234. Tetr. juncea Sm. s. Nro 235 et 527, T. thymifolia sub Nro 525 distributae sunt. Nonnulli auctores T. denticulatam Sieb. cum T. pilosa Lab. conjunxerunt, perperam vero ut credo; exactissimae observationes me convicerunt, hanc plantam bonam speciem restituendam esse. — Species duae generis Tremandrae Tr. stelligera R. Br. et diffusa R. B. sunt quarum nullae icones exstant. Utraque a cl. Brown in ora meridionali-occidentali detecta est.

Usque ad hoc tempus nulla nova generis Tremandrae species detecta est, numerus Tetrathecae species detectionibus annorum elapsorum valde auctus est. Dum species sex hujus generis de quibus supra dixi sine exceptione in ora orientali lectae sunt, omnes species quae sequuntur vel in litore meridionali-occidentali vel meridionali detectae sunt.

Liber Baro de Huegel ad ripas Sinus Regis Georgii III. versus caput fluvii Cygnorum species duas legit, quas beat. Endlicherus sub nominib. T. affinis et T. setigera exactissime descripsit in „Enumerat. plant. quas collegit L. B. de Huegel Nro 7 p. 23 et Nro 8. p. 24. Utraeque species posterius a cl. Preissio quoque adlatae sunt.

Porro species quinque hujus generis in plantarum collectionibus comprehensae sunt, quas indefessus ac sagacissimus agricola James Drummondius, Scotus, diligentissime in agris suis ad ripam utramque fluvii Cygnorum sitis collegit et in Angliam misit. Illae species quinque a cl. Lindleyo in libello „a sketch of the Vegetation of the Swan-River Colony“ (Appendix to the Botanical Register p. xxxviii) citatae et brevissime descriptae sunt sub nominibus T. viminea, T. rubriseta, T. nuda, T. hirsuta, T. pilifera; quae omnes species, hirsuta excepta, etiam a cl. Preissio postea lectae sunt. Examinationibus comparandis, Steetzius, sagacissimus perscrutator Tremandrearum Preissianarum T. hirsutam Lindl. non nisi varietatem novam speciei alicujus ab ipso nominatae, recognovit.

Ex regionibus interioribus Australiae meridionalis Major Mitchell novam speciem adtulit, quam Lindleyus in Mitchell. Austral. Vol. II. descripsit et cl. Hookerus in Icon. plantar. rarior. Vol. III. t. 268 delineavit. Speciem illam, T. ciliatam, L. Muellerus in pluribus locis legit et admisit.

Ludov. Preiss celeb. per tres annos magnam Novae Hollandiae meridionali-occidentalis partem percurrens, undecim generis Tetrathecae species, tres plantas huic generi affines, nec non Tremandrae speciem unam collegit. In his quindecim speciebus quarum elaborationêm Steetzio debemus, 5 species novae cum varietatibus nonnullis, 5 varietates novae specierum jam descriptarum recognitae sunt. Nomina omnium a Preissio lectarum Tetrathecae specierum haec sunt 1 T. affinis Endl. 2 T. nuda Lindl. 3 T. virgata Steetz. 4 T. virgata St. β setigera Steetz. 5 T. confertifolia Steetz 6 T. viminea Lindl. cum 7 et 8 β var. microphylla St. et γ setosa Steetz. 9 T. epilobioides Steetz. 10 T. setigera Endl. 11 var. β elongata Steetz. 12 T. rubriseta Lindl. 13 T. hispidissima Steetz 14 T. gracilis Steetz 15 T. pilifera Lindl. c. 16 var. β integrifolia Steetz. Accuratissimis studiis et explorationibus coactus sum duas a Steetzio non nisi varietates recognitas plantas bonas species declarare et nova nomina iis imponere scilicet Tetr. setiger. β elongat. quam T. elongatam voco, nec non T. pilifera Lindl. β integrifolia Steetz. cui nomen T. micrantha imposui. His perscrutationibus numerus specierum a Preiss detectarum in 7 species primarias cum varietatib. nonnullis et tres novas adhuc non descriptas varietates stirpium jam cognitarum mutandus est. Steetzius stirpes nonnullas habitu Tetrathecis affines, de quibus supra narravi, in genus novum conjunxit, quod structura staminum Platytheca vocavit. ac in illo tres species dignovit, scilicet Pl. galioiden, Pl. Crucianellam et P. crassifoliam. Comparationes diligentes me docuerunt, Pl. Crucianellam non nisi formam graciliorem, humiliorem ac pubescentem, Pl. galioidis esse, quare illa huic subjungenda erit. Tremandrae species unica a Preissio lecta, errore quodam Steudelio cl. transmissa, ab illo nova species habita est, demum Steetzius accuratioribus studiis adhibitis in ea Tr. stelligeram R. Br. recognovit, quam ob rem nomen Steudelianum (T. oppositifolia) omittendum est. Descriptiones quam accuratissimas ac diligentissimas nobis obtulit amiciss. Steetzius in

opere satis noto „Lehmann. Plantae Preissianae Vol. I. p. 211—223 nec non Vol. II. 233 etc.

Ferdinand. Muellerus, Holsatus, annis proxime elapsis identidem plantarum Novae Hollandiae meridionalis collectiones copiosas admisit, in quibus septem Tetrath. species observavi, quarum elaborationem Sonderus mihi commisit. Stirpium illarum una, sub nomine „calva“ missa (prius jam ab Allan-Cunningham, Gunn, Lawrence, Scott lecta) sine ullo dubio bonam speciem signandam esse, opinor. quamvis Steetzius, Hooker et alii eam nil nisi varietatem pilosae vocant. Hujus stirpis duas varietates, pulchellam et hispidulam distinguo. Pulcherrimae omnium specierum gener. Tetrathecae, T. ciliatae L. et T. baueraefolia F. M. Müllerus in speciminibus splendidis admisit. T. baueraefolia est nova species, thymifoliae Sm. proxima. Hae sunt species cum varietatibus quas Muellerus in annis 48—52 vel ipse vel cum collega Dr. Stuart legit: Tetrath. glandulosa Lab. T. ericaefolia Sm. (sub nom. T. adenocalyx F. M.) T. thymifolia L., T. pilosa Lab. T. calva Fer. Müll. cum variet. β, γ. pulchella et hispidula. T. baneraefolia Fer. Müll. et T. ciliata Lindl. cum var. β glabra mihi.

Blandowsky botanophilus anno praeterlapso collectionem plantarum ad Murray Fluv. ripas lectam Steetzio misit, qui ex ea T. calvam F. M. mihi benevole communicavit.

Dr. Behr in Australia meridionali per annos plures plantas legit. In ejus collectionibus, quas clarissimus de Schlechtendahl elaboravit, non nisi species unica hujus Familiae, Tetrath. calva, observata est.

Adnotationes quasdam de cultura ac propagatione specierum nonnullarum in tepidariis nostris nobis nuperrime Albertus Courtin communicavit in libro suo „Practische Anleitung zur Cultur und Vermehrung der beliebtesten Blumen und Pflanzen pag. 195. Stuttgardt 1853.

CONSPECTUS

GENERUM ET SPECIERUM TREMANDREARUM.

ANTHERAE CUM FILAMENTIS CONTINUAE, QUADRILOCULARES TUBULATAE = COHORS I TETRATHECEAE.

LOCULI BISERIALES, SEMINA APPENDICULATA = GEN. 1. TETRATHECA SM.

ANTHERAE ATROPURPUREAE TRIB. I MELANERYTHROTHECA.

SECTIO 1. JUNCEI.

A. Rami ancipites.
1. Rami anguste alati = T. juncea Sm.
2. — late alati = T. affinis Endl.

B. Rami teretes.
1. Ovarium hirsutum = T. nuda Lindl.
2. — glaberrimum = T. virgata Steetz.

SECTIO 2. ERICOIDEI.

§. I. Antherae in tubulum ipsis breviorem productae.
A. Folia linearia.
1. Pedicelli elongati = T. confertifolia Steetz.
2. Pedicelli non elongati.
α. fol. margin. denticulata = T. denticulata Sm.
β. fol. subintegra.
αα. fol. verticillata = T. ericaefolia Sm.
ββ. fol. alterna.
ααα. fol. glabra = T. calva Ferd. Müll.
βββ. fol. pilosa = T. pilosa Lab.

B. Folia non linearia, latiora.
1. folia nunquam verticillata = T. glandulosa Lab.
2. folia plerumque verticillata.
α. Loculi ovarii uniovulat.
αα. Pedicelli glaberrimi = T. baueraefolia F. M.
ββ. — hirsuti = T. thymifolia Sm.
β. Loculi ovarii biovulati = T. ciliata Lindl.

§. II. Antherae in tubulum aequilongum productae, folia lineari-lanceolata, minima = T. gracilis Steetz.

§. III. Antherae in tubulum ipsis longiorem productae.
A. Folia petiolata = T. hispidissima Steetz.
B. Folia subsessili.
1. Folia subintegra.
α. Folia utrinque glabra = T. viminea Lindl.
β. Folia hirsuta = T. rubriseta Lindl.
2. Fol. undulata = T. epilobioides Steetz.
3. Fol. dentata.
α. Pedicelli glabri = T. elongata mihi.
β. Pedicelli setulosi = T. setigera Endl.

ANTHERAE SULPHUREAE = TRIB. II XANTHOTHECA.

1. Antherae glaberrimae = T. pilefera Lindl.
2. Antherae rugulosae = T. micrantha mihi.

LOCULI UNISERIALES, SEMINA INAPPENDICULATA = GEN. 2. PLATYTHECA.

1. Caulis cum ramis glaberrimus = Pl. galioides Steetz.
2. — — — pubescens = Pl. crassifolia Steetz.

ANTHERAE CUM FILAMENTIS ARTICULATAE, BILOCULARES, ETUBULATAE = COHORS II EUTREMANDREAE.

GEN. 3. TREMANDRA R. B. VIDE CHAR. COH. II EUTREM.

1. Caulis erectus, folia superne pilosa = T. stelligera Brown.
2. Caulis diffusus, folia superne glabra = T. diffusa R. B.

TREMANDREAE Rob. Brown.

Robert. Brown in Flinders Voyage II, 544. (Vermischte Schriften Vol. I. p. 29). — De Candolle Prodr. I, 343. — Martius, Conspectus p. 44. Nro. 208. — Bartling Ordines Plantar. 255. — Kunth, Handbuch der Botanik 1831. p. 570. — Lindley, Introduct. Edit. II. p. 144, sub nomin. Tremandraceae. — Endlich. Gener. Plant. p. 1076 Nro. CCXXXII. — Meissn. Gen. Plant. Vol. I. p. 20. Nro. 21. — Vol. II. p. 438. — Walpers Repert. Bot. Syst. Ordo XX. Vol. I p. 249. Vol. II. suppl. I. p. 770. Vol. V. p. 68. — Annal. Bot. Syst. Vol. I. p. 76. Vol. II. p. 87. —

COHORS I TETRATHECEAE.

GENUS I TETRATHECA Smith.

TETRATHECA Smith.

J. E. Smith A Specim. of the Botany of New Holland I. tb. 2. (1793). — J. J. Labillardière Novae Hollandiae plantar. specimen Tom. I p. 95 et 96. tb. 122. 123. (1804). — J. E. Smith Exotic Botany Tom. I p. 37—41. tb. 20—22. (1804). — E. Rudge; in Transactions of the Linnean Society of London Tom. 8. p. 294. 295. tb. 10. 11. (1807). — A. L. de Jussieu: in Memoires du Museum d'Histoire naturelle Tom. I p. 387. (1815). — A. P. De Candolle Prodrom. I, 343 (1824). — C. Sprengel Linnaei Syst. Vegetab. Ed. 16. Tom. 2. p. 214. (1825). H. G. L. Reichenbach: Iconograph. exotica Tom. I. p. 56. tb. 78. (1827). W. J. Hooker, in Journal of Botany Tom. I. p. 248. 249. (1834). — Compan. to the Botanic. Magazine Tom. I. p. 274. (1831). — C. F. Meissner Plantar. vascular. Genera Tom. I. p. 22. Tom. 2. p. 20. (1836). — St. Endlicher Enumer. pl. Huegel. p. 78. (1837). — J. Lindley in J. S. Mitchell three expeditions etc. tom. 2. p. 205. (1838). — W. J. Hooker Icon. plantar. Tom. 3. tb. 268. (1838). — J. Lindley a Sketch of the vegetat. etc. p. XXXVIII. 184—188. (1839). — St. Endlicher Gener. Plantar. p. 1077. Nro. 5644. (1840). — J. D. Hooker in

Journal of Botany tom. 2. p. 408. 409. (1840). J. Lindley Botan. Reg. new Series tom. 17. tb. 67. (1844). — J. Steetz in Lehm. Plant. Preiss. tom. I. p. 211—220. tom. 2. p. 233. 234. (1844—46). — J. Paxton Magazin of Botany Tom. 13. p. 53. 54. c. icone. (1847). — M. Payer in Annales des sciences naturell. trois. série. tom. 15. p. 351 — 359. tb. 20. fig. 1 — 20. (1851). — Asa Gray in Hook. Journal of Botany and Kew Garden Miscellany Tom. 4. p. 199. 200. (1852). — Steetz Familie der Tremandreen und ihre Verwandtschaft zu d. Lasiopetaleen p. 28 etc. (1853). —

Charact. Gener.

Calyx 4—5 partitus. Corollae petala 4—5, libera cum calycis sepalis alternantia. Praefloratio utrinque longitudinaliter involuta: quodvis petalum marginibus involutis stamina duo involvit. Stamina uniseriatim ovarium cingentia, libera, 8—10, aequilonga, petalis opposita. Filamenta compressiuscula crassiuscula vel teretia filiformia; antherae cum filamentis semper continuae, subcylindricae, compressae, lateribus dorso et ventre sulcatae, quadriloculares, loculi biseriales, exteriores interioribus multo majores; antherae superne in tubulum ipsis breviorem, vel aequilongum productae; tubulus apice poro terminali, interdum oblique truncato instructus. Pollen siccum subglobosum, triporosum, laevissimum. Ovarium biloculare (in perpaucis speciminibus duarum specierum triloculare) loculis uniovulatis vel interdum biovulatis rarissime triovulatis. Ovula pendula, anatropa, integumentis duobus instructa, funiculo brevissimo appensa, rhaphe in appendicem curvatam supra chalazam excrescente instructa. Ovula solitaria in dissepimenti angulo interiore supremo affixa, ovula bina superposita. In loculis triovulatis ovula superiora collateralia sunt. Stylus filiformis et stigma simplex. Capsula obovata vel pyriformis, bilocularis, compressa, loculicide bivalvis, loculis semper monospermis. Semina pendula, oblonga, albuminosa, testa fragili bruneo-nigrescente instructa, utrinque obtusa, appendiculata, arillata; arillus albescens membranaceus pilosus supra appendicem quoque longe excrescens, utriculum longum formans. Albumen carnosum, albescens. Embryo axilis albumine dimidio brevior, rectus, radicula hilum spectans, cotyledones obtusae, incumbentes. —

Fruticuli graciles, ericoidei vel virgati plus minusve ramosi, vel subsimplices, foliis alternis vel verticillatis, linearibus lanceolatis sessilibus, vel ovato-lanceolatis, ovatis, vel obovatis, deltoideis brevissime petiolatis, rarissime squamaeformibus, integerrimis vel remote dentatis, glabris vel pilosis vel pilis glandulosis, vel setis conspersis, pedunculis gracilibus axillaribus, solitariis vel subverticillatis, unifloris. Flores rubri vel albi sub solis splendore vel diebus serenis aperti, sed pluvia impendente, primis tenebris et per noctem clausi.

TRIBUS I. MELANERYTHROTHECA.

SECTIO I. JUNCEAE.

1. **Tetratheca juncea** *Smith.*

Caule a basi ramoso, ramis anguste ancipitibus vel tota longitudine anguste alatis, inferne aphyllis, medio et superne foliolis angustissimis linearibus (majoribus quam in T. virgata Steetz. et affini Endl.) sessilibus vestitis, pedicellis basi bractea minima lineari suffulta, petalis longioribus; floribus tetrameris, staminibus glaberrimis, antheris filamentis tubulisque duplo — triplo longioribus, c. filamentis concoloribus, atropurpureis, tubulis flavo-fuscis; ovario cum stylo recto, stamina paullo superante, glaberrimo.

T. juncea Smith Nov. Holl. tb. 2. De Cand. Prodr. I. 343. Nro 1. — Sprengel System. Vegetab. II. p. 214. Nro 3. — Dietrich 1707. Nro 1. — Steudel II. 673. — Reichenb. Iconogr. bot. exot. tb. 78.

Fruticulus pulcher, medio et superne floribus crebris instructus. Caulis 1—2 pedalis, jam a basi ramosissimus. Rami glabri, adpressi vel patentes, virgati, apice abortientes, longitudinaliter anguste alati, inferne aphylli, medio et versus apicem foliolis sparsis vestiti. Folia alterna, patentia vel subadpressa, crassiuscula, sessilia, linearia, 2—3 lin. longa, ¼—½ lin. lata, utrinque glaberrima, decidua. Pedicelli axillares, plerumque solitarii, rarius bini, semper uniflori, patenti-curvati, filiformes, apice paullo incrassati, glaberrimi, 6—10 lin. longi, basi bracteola forma foliorum sed multo breviori et angustiori suffulti, sparsi in ramorum caulisque medio, crebrius versus apicem eorum. Sepala 4, acutiuscula, 1—2 lin. longa, viridi-rubescentia, extrorsum et marginibus glaberrima. Petala 4, obovata, rosea, patentia, subtrinervata, 6—8 lin. longa, basi macula purpurea parva instructa. Stamina 8, glaberrima, conniventia. Filamenta brevia, ½ lin. longa, subcompressa, atropurpurea. Antherae subcylindricae, quadriloculares, loculis externis internis multo majoribus, lateribus leviter sulcatae, atropurpureae, glaberrimae, apice in tubulum flavescentem filamenti longitudine productae. Tubulus poro apicali instructus, truncatus. Ovarium sessile, glabrum, compressum, viridi-roseum, biloculare. Ovula in loculis solitaria, rarius bina superposita apice funiculo appensa brevi. Appendix ovuli in hac specie acuminatior quam in aliis mihi esse videtur. Stylus stamina paullo

superans, glaberrimus, rectus, basi rubescens, superne flavescens. Stigma simplex. Capsulas c. seminibus non vidi.

In ora Novae Hollandiae orientali legit Sieber et distribuit in Flor. Nov. Holland. sub Nro 235, in Flor. mixt. sub Nro 529.

Specimina vidi in Hb. Willdenow. sub Nro 7228, in Hb. Reg. Berolin. Lehm. Steetz. et Sonderiano, Kunthiano.

2. **Tetratheca affinis** *Endlicher.*

Caule jam a basi ramoso, ramis late alatis (foliaceis compressis, basi ancipitibus teste Endlich.) undique glaberrimis, inferne aphyllis, superne foliis sparsis alternis, minimis, setaceis vestitis, pedicellis basi bracteolis duabus angustissimis brevissimis sessilibus suffulti; floribus pentameris, staminibus puberulis, filamentis abbreviatis, antheris tubulos aequantibus, discoloribus; ovario sessili, ovato, cum stylo filiformi glaberrimo; stigmate simplici.

T. affinis Endl. in Enum. Plant. Huegel. pag. 7. Nro 23. — Steetz in Lehm. Plant. Preiss. I. p. 211. Nro 1. — Steudel Nomencl. bot. II. 673. — Walpers Repert. Bot. Syst. Tom. I. p. 249. Tom. V. p. 68.

Fruticulus glaberrimus, pedalis et ultra, a basi ramosus. Rami simplices, vel uno alterove ramulo aucti, basi filiformes, ancipites, deinde foliaceo-compressi, lineam lati, ad exortum foliorum non nihil magis minusve contracti. Folia alterna, pollicem et ultra dissita, setacea, minima, margine non revoluta, apice seta parva instructa, vix lineam longa, subsphacelata teste cl. Endlich., quod Steetz et ego nunquam observavimus. Pedicelli axillares, solitarii, uniflori glaberrimi, $2^1/_2$''' long. nutantes, basi bracteolis 2, setaceis, foliis brevioribus suffulti. Sepala 5, glaberrima, basi plus minusve connati, oblonga acuminata, 1—$1^1/_2$ lin. longa, aequilonga. (sec. Cl. Endlicher. quintum reliquis aequilongum sed paullo angustius) Petala 5, purpureorosea, oblonga, 4''' longa, patentia. Stamina 10, hypogyna, filamenta crassiuscula, brevissima, antherae extrorsae, purpureae, puberulae, quadriloculares, conniventes, apice in tubulum antherarum longitudine aequantem discolorem productae, tubulus pallidior, flavescens, poro apicali instructus, oblique truncatus. Ovarium sessile, glaberrimum, ovatum, compressum, biloculare. Ovula in loculis bina, collateralia, apice appensa, rhaphe appendiculata. Stylus glaberrimus, filiformis, rectiusculus, stamina vix superans, stigma simplex. Capsulam cum seminibus non vidi.

King-Georges Sound. leg. Huegel 1834.

In subarenosis prope oppidulum Albany (Plantagenet) 23. Septb. 40. legit L. Preiss. et distribuit sub Nro 1334.

Specimina a cl. Preissio lecta in Hb. Lehm. Steetz. et Reg. Berol. vidi.

3. **Tetratheca nuda** *Lindley.*

Caule subsimplici parce ramoso, glaberrimo, ramis teretibus junceis fere plane aphyllis, foliis sparsissimis linearibus minimis in petiolum brevissimum attenuatis, deciduis; pedicellis sparsis filiformibus

basi bracteis minimis deciduis instructis axillaribus corolla brevioribus, solitariis, unifloris; floribus pentameris, staminibus glaberrimis, filamentis crassiusculis, tubuloque antherae fere quadruplo breviore concoloribus; ovario hirsuto; stylo recto simplicissimo, basi hispidulo, apice glaberrimo, longitudinaliter subsulcato.

Tetratheca nuda Lindley in „Sketch of the Vegetation of Swan-River" in Append. to the Botan. Regist. p. XXXVIII. Nro 186. — Steetz. in Lehmann. Plant. Preiss. I. 213. Nro 3. II. p. 233. — Walpers Repert. Bot. I. 249. — V. 68.

Fruticulus pulcher, flores roseo-purpureos gerens: Caulis 1—2 pedalis, subsimplex, paucis ramis a basi orientibus erectis junceis, teretibus instructus, cum ramis glaberrimus, inferne aphyllus. Foliola minuta sparsa, adpressa, crassa, in petiolum brevissimum attenuata, margine non revoluta, obtusa, linearia, 1—2 lin. longa, $^1/_4$ – $^1/_2$ lin. lata, utrinque et margine glaberrima, decidua. Pedicelli axillares, solitarii, uniflori, cernui, filiformes, apice paullo incrassati, glaberrimi, basi bracteola minima suffulti, sparsi. Sepala 5, acuta, lineam longa, colorata, margine et nervis sparse ciliolata, introrsum nervis hispidula. Petala quinque, obovata, patentia, roseo-purpurea, basi macula lata atro-sanguinea instructa, 4 lin. longa. Stamina decem, glabra, conniventia. Filamenta crassa, brevia, compressiuscula; antherae subcylindricae paullo compressae, quadriloculares, atropurpureae, introrsum et extrorsum in infima parte perpaucis ciliis instructae, apice in tubulum brevissimum, poro apicali instructo productae. Ovarium sessile, hirsutum, margine setis albis intermixtis obtectum, ovatum, compressum, roseo-viride, biloculare; ovula in loculis solitaria in angulo interno supremo appensa, chalaza appendiculata. Stylus stamina paulo superans, basi hispidulus, superne glaberrimus, longitudinaliter sulcatus, rectus, stigma simplex. Capsulam et semina non vidi.

In Nova Holland. meridionali-occidentali haud procul a Swan-River leg. James Drummond. 1839. — In Australasia leg. Preiss. et distribuit sub Nro 1332 ex parte. Specimina a cl. Drummond. lecta in Herb. reg. Berol. a cl. Preiss. lecta in Herb. norm. plant. Preiss. Lehmann., Steetzian., Sonder. et reg. Berolin. vidi.

In collectionibus Preissianis haec planta cum T. virgata Steetz. plane confusa est. Exemplaria cl. Steetzio ad examinandum transmissa T. virgata St. sunt; ea vero quae Preissius pluribus amicis communicavit T. nuda Lindl. sunt.

4. **Tetratheca virgata** *Steetz.*

Caule a basi ramoso, ramis teretibus inferne aphyllis, superne foliis alternis minimis linearibus brevissime petiolulatis vestitis, pedicellis basi bracteolatis axillaribus folia corollamque superantibus, floribus tetrameris, staminibus glabris, filamentis tubuloque antherae longitudinem aequante discoloribus, ovario cum stylo rectiusculo glaberrimo.

Tetratheca virgata Steetz. in Lehmann. Plant. Preiss. I. 212. — Walpers. Repert. Bot. Syst. Vol. V. p. 68.

Fruticulus pulcherrimus, superne floribus purpureis creberrimis tectus. Caulis pedalis et ultra, a basi ramosus. Rami glaberrimi, graciles, teretes, erecti, virgati, apice abortientes, inferne aphylli, leviter rugulosi. Folia in superiore ramorum parte alterna, arrecta, crassiuscula, brevissime petiolulata, margine revoluta, obtusiuscula, linearia, $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ lin. longa, $\frac{1}{2}$ lin. lata, utrinque glaberrima, vel summo apice pilis paucissimis rigidulis brevissimis conspersa, decidua. Pedicelli axillares, solitarii, uniflori, patenti-curvati, filiformes, apice paullo incrassati, glaberrimi, basi ut plurimum bracteola minima suffulti, in apice ramorum aggregati. Sepala 4, ovata, acutiuscula, lineam longa, colorata, glabra, margine leviter ciliolata, introrsum puberula. Petala 4, obovata, latiuscula, patentia, rosea in planta viva teste cl. Preissio, purpurea in siccata, basi macula atropurpurea notata, 4—5 lin. longa. Stamina 8, glabra, conniventia. Filamenta brevia, semilineam longa, crassiuscula, plano-compressa, pallida, antherae cylindricae, quadriloculares, atropurpureae, extrorsum rugulosae, introrsum basi ciliis paucis vix conspicuis vestitae, apice cum tubulo subaequilongo, pallido, oblique truncato, poro terminali instructo, scabriusculae. Ovarium sessile, glabrum, ovatum, compressum, roseum, biloculare; ovula in loculis solitaria, apice appensa, caruncula subfungosa, uncinata, obtusiuscula terminata. Stylus stamina vix superans, glaber, rectiusculus, vel paullisper tortus, stigma simplex. Capsulam frustra quaesivi.

In limoso calculosis inter frutices planitiei haud procul a praedio rustico Dom. Brockmann. (York) 15. Octbr. 49. legit Preiss. et distrib. sub Nro 1332 ex parte. Specimina vidi in Herb. Lehmann. norm. Plant. Preiss. et in Hb. Steetz.

β setigera Steetz. ramis undique setis sparsis patentibus rufescentibus basi bulbosis 1 — 2 lin. longis vestitis.

T. virgata Steetz. β setigera Steetz. in Lehmann. Plant. Preiss. Vol. I. p. 213.

In Australas. meridion.-occident. leg. Preiss. et distribuit sub Nro 1333.

Specim. vidi in Herb. Lehm. norm. Pl. Pr. et in Hb. Steetz.

In Herb. amiciss. Steetzii specimen vidi cum flore tetrasepalo, pentasepalo et decem staminibus. Haec Varietas praeter setas non differt a specie primaria, nisi statura paullo humiliori, ovario apice obtusiori, styloque paullo longiore et magis torto. Folia, pedicelli, calyces et ovaria aeque glabra sunt et setae non nisi caule ramisque insident.

SECTIO II. ERICOIDEAE.

I. Antherae in tubulum aequilongum productae.

5. **Tetratheca gracilis** *Steetz.*

Caule gracili erecto, ramoso hinc inde setulis albis patentibus raris consperso, ceterum glabro, foliis ternatim verticillatis, subsessilibus, lineari lanceolatis margine revolutis, utrinque glabris, internodiis multoties brevioribus, pedicellis axillaribus, folia longe superantibus filiformibus glaberrimis ebracteolatis, floribus pentameris, filamentis brevibus pallidis, antheris cum tubulo atropurpureis scabris, ovario obovato apice subemarginato, glaberrimo. (Stylus c. stigmate nec non capsula c. seminibus omnino desunt).

Tetratheca gracilis Steetz. in Lehm. Pl. Pr. Vol. I. p. 215. Nro 6. — Walpers. Repert. Bot. Syst. Vol. V. p. 69.

Suffruticulosa. Caules plures graciles, erecti, ramosi, fere pedales et cum ramis arrectis, teretes; rugulosi, glabri, vel hinc inde setis patentibus rufescentibus, basi bulbosis raris, sub foliorum verticillis crebrius vestiti. Rami simplices, utplurimum ternatim verticillati. Folia pari modo ternatim verticillata, crassiuscula, in petiolum brevissimum planiusculum attenuata, lineari-lanceolata, integerrima, apice mucronulis 1—3 minutissimis terminata (teste cl. Steetzio. Equidem nunquam vidi) vel mutica, margine revoluta, utrinque glabra, internodiis multoties breviora, 3—4 lin. longa, 1½ lin. lata. Pedicelli axillares, uniflori, filiformes, apice incrassati, glaberrimi, solitarii, oppositi, vel ternatim verticillati, 7—9 lin. longi, basi bracteolis destituti. Sepala ovata, acutiuscula, lineam longa, glabra, ciliolata, introrsum puberula, colorata. Petala 5, purpureo-rosea, basi concoloria, obovata, sepalis duplo vel triplo longiora. Stamina 10, filamenta brevia, semilineam longa ¼ lin. lata, planiuscula, pallida, antherae cylindricae, quadriloculares, introrsum ciliatae, cum tubulo aequilongo scabrae, atropurpureae. Ovarium sessile, compressum, glabriusculum, obovatum, apice emarginatum, pallido-viride. Capsula, (quam non vidi) teste cl. Steetz. obovata, subinflata, apice emarginata, utrinque longitudinaliter sulcata, 2½ lin. longa, 2 lin. lata.

In subarenosis silvae ad fluvium Serpentine River (Murray) 15. ecbr. 39. legit Preiss. et distrib. sub Nro 1335.

Specimina vidi in Herb. Lehmann. et Steetz., quae floribus carent, specim. unic. in Herb. Steetz. florem incompletum gerit, cui stylus et tubuli nonnullarum antherarum defracti sunt. Tamen habitu singulari nec non dispositione ac forma foliorum bona species sine ullo dubio est.

II. Antherae in tubulum ipsis breviorem productae.

6. **Tetratheca confertifolia** *Steetz.*

Caule plerumque ramoso, rarius simplici, tereti, hispidulo dense foliato, foliis alternis vel oppositis, vel verticillato-aggregatis sessilibus linearibus obtusiusculis margine revolutis hispidulis, pedicellis axillaribus folia longe superantibus in apice ramorum aggregatis hispidulis vel pilosiusculis, floribus pentameris, tubulo anthera breviore, ovario ovato hispidissimo, stylo rectiusculo basi hispidulo apice glabro.

T. confertifolia Steetz. in Lehm. Plant. Preiss. Vol. I. p. 214. Nro 4. — Wlprs. Repert. Bot. Syst. Vol. V. p. 68.

Fruticulus. Caulis plerumque ramosus, rarius simplex, rami supra basin orientes. Caulis cum ramis teres, setis minimis subadpressis, hispidulis, dein subglabratus et propter folia delapsa undique, praesertim versus apicem cicatricibus creberrimis tectus, ½—1 pedalis. (In Herb. Sonder. specimen 14 poll. long. vidi). Folia conferta, alterna, vel opposita, vel subverticillata, arrecta, sessilia, basi attenuata, linearia, integerrima, obtusa, crassa, margine fere usque ad nervum primarium revoluta, utrinque hispidula, et supra praesertim margine setis validis, rigidulis, patentibus (basi bulbosa teste Steetzio) onusta, uninervia, nervo supra vix impresso, subtus valido, valde prominulo, hispido, 3—6 lin. longa, ½—1 lin. lata. Pedicelli in apice ramorum, axillares, solitarii, aggregati, uniflori patentes, hispiduli, pollicares, fructiferi apice nutantes. Sepala 5, lanceolata, acuta, 1½ lin. longa, setoso-hispidula, plerumque reflexa. Petala 5, obovata, patentia, sepalis duplo majora, ante anthesin albida, dein purpurea, basi macula atropurpurea notata. Stamina 10, conniventia, filamenta brevia, ½ lin. longa, crassiuscula, parce puberula et cum antheris earumque tubulis concoloria, atropurpurea; antherae cylindricae, quadriloculares, in tubulum ipsis paullo breviorem, oblique truncatum, poro terminali instructum productae, rugulosae, glabrae, vel introrsum ciliis paucis tenuissimis vestitae. Ovarium sessile, ovatum, subcompressum, biloculare, hispidissimum. Stylus stamina paullo excedens, rectiusculus, vix tortus, basi latiore sensim attenuatus, medio tenus hispidulus, apice glaberrimus, utrinque longitudinaliter sulcatus, simplex, vel sicuti in floribus binis observavi, secundum sulcum bifidus. Stigma simplex. Capsula obovata, compressa, basi attenuata, apice emarginata, forma pyriformi utrinque longitudinaliter sulcata, hispidula 2—2½ longa, 1½—2 lin. lata. Semina matura non vidi.

In confragosis montium continuorum Darlings-range. (Perth.) 1. Novbr. 39. legit Preiss. sub Nro 1328, et in regionibus interior. Australas. meridion.-occident. sub Nro 1329. Specimina mihi occurrerunt in Herb. Reg. Berol., Lehmann., Steetz. et proprio. In speciminib. sub Nro 1329 distributis Steetzius observavit flores albos.

An haec species solum forma Tetrath. pilosae Lab. foliis approximatioribus et pedicellis elongatioribus est?

7. **Tetratheca pilosa** *Labillardier.*

Caule plerumque ramoso, rarius simplici, cum ramis tereti, undique piloso, foliis sparsis oppositis, rarius alternis vel ternatim-verticillatis, nunquam approximatis, sessilibus, linearibus, acutiusculis margine fere usque ad nervum primarium revolutis, hispidulis, margine plerumque integro, rarius obtuse dentatis, pedicellis axillaribus solitariis, rarius binis, rarissime ternis, folia superantibus, floribus tetrameris, rarissime pentameris, filamentis abbreviatis tubulis aequilongis, antheris ciliolatis, c. filamentis concoloribus, atrosanguineis; ovario pyriformi, pilis glanduliferis rubescentibus atque setulis albis patentibus obtecto, stylo erecto, basi hispidulo, medio ac superne glaberrimo; capsula pyriformi, vel emarginata, basi attenuata, pilis glanduliferis et setis albis vestita; seminibus solitariis in quovis capsulae loculo, in infima parte appendiculatis cum arillo membranaceo instructis.

Tetr. pilosa Labillard. Nov. Holl. pl. Vol. I. p. 95. tb. 122. De Cand. Prodr. I. 342. Nro 3. — Sprengel Syst. Veget. II. 214. Nro 2. — Dietrich 1707. Nro 3. — Steudel Nomencl. Bot. II. 673. Syn. *T. glandulosa Smith.* Exot. Bot. pag. 38. tb. 21. Vol. I. E. Rudge in Linnean Transactions Vol. VIII. tb. X. p. 294.
T. glandulosa Labill. var. β.
W. Hooker, Compend. to the Bot. Magaz. T. I. p. 274. (1835) et W. Hooker in London Journal. of Botany Tom. I. 248. T. II. p. 408. (1840.)

Fruticulus pulcherrimus, altitudine 1—2pedalis. Caulis in plurimis speciebus ramosus, in perpaucis simplex, cum ramis teres, pilis subadpressis ac setis minoribus albis patentibus, cicatricibus foliorum delapsorum obtectus. Folia sparsa, solum apice suprema ramorum paullo approximata, opposita, vel ternatim verticillata vel alterna, omnia sessilia, linearia, acutiuscula, margine plerumque subintegra, interdum remote obtuse-dentata, crassa, coriacea, margine revoluta, superne rugosa, pilis albis setulis albescentibus rigidulis obtectis, uninervia, nervo supra vix impresso, subtus prominulo, pilos longioros albos gerente, basi attenuata, 3—8 lin. longa, 1—2½ lin. lata. Pedunculi in foliorum axi, plerumque solitarii, rarius bini, rarissime terni, uniflori, cernui (ut mihi videtur) setulosi, pilis purpureo-roseis patentibus obtecti, folia vix superantes, apice incrassati, basi mox stipula unica latiore aut stipulis duabus angustioribus suffulti. Stipulae membranaceae, purpurascentes. Sepala 4 vel 5, ovata, acuta, utrinque pilis glanduliferis ac setis albis (praesertim extrorsum) obtecta, trinervata, roseo-purpurascentia, 1—2 lin. longa. Petala 4 vel 5, ovata, subacuta, 3—5 lin. longa, lilacino-purpurea, basi macula destituta. Stamina 8—10, superne conniventia, filamenta compressiuscula, adscendentia, abbreviata c. antheris concoloria. Antherae irregulariter cylindricae, quadriloculares, loculis internis exterioribus multo minoribus, extrorsum ciliolis albis adpressis instructae, lateribus sulcatae, atrosanguineae vel atropurpureae, superne in tubulum filamenti longitudine productae, tubulus laevis, apice flavescens, oblique

truncatus, poro terminali instructus. Pollen ovale, rima longitudinali instructum. Ovarium sessile, pyriforme, obovatum, basi multo attenuatum, compressum, flavo-viride, pilis glanduliferis roseis et setis brevioribus albis obtectum, biloculare, loculis uniovulatis, rarius biovulatis. Ovula funiculo brevi angulo interno supremo appensa, rhaphe instructa, in extremitate infera appendiculata, cum appendice arillo membranaceo obtecto. Stylus simplex, basi hispidulus, perpaucis pilis glanduliferis rubris vestitus, purpurascens, medio et superne glaberrimus flavo-viridis, utrinque longitudinaliter subsulcatus, stigma simplex, stamina superans. Capsula obovata, basi attenuata, pyriformis, setis validioribus albis et pilis glanduliferis rubris hinc inde obtecta, bilocularis, loculi plerumque uniovulati, ex ovario loculis biovulatis abortu in capsula matura semina solitaria observavi. Semina pendula, locum explentia, undique ciliis longis adpressis ex arillo membranaceo supra appendicem elongatam exeuntibus, instructa. Testa brunea, fragilis, albumen subcarnosum. Embryo rectus, radicula hilum spectans, cylindrica, cotyledones ovales, accumbentes.

In Australasia orientali legerunt Labillardiere in Herb. Willdenow. Nro 7232, in Hb. Kunth., in Hb. Lehmann. In Insula Van Diemen legerunt Bonald. Gunn. Esq. in Hb. Reg. Berol. et Sonderian. nec non J. D. Hooker in Herb. Sonder. In Cap Van Diemen Insul. Melville haec planta etiam lecta est. Specimen enim in Hb. Kunth. vidi. In Austral. felice leg. Blandowsky in Hb. Steetz, Reg. Berol. et proprio. Dr. F. Müller. legit in locis qui sequuntur.

1. George-town. Tasmannia.
2. In locis sabulosis inter George-town et Lyndock. Tasmannia sub Nro 23.
3. Bugli-range. Octb. 48. in Austral. meridionali.
4. Lyndock-Vally inter fruticeta in pascuis montan. apertis Septbr. 48. Aust. merid.
5. In locis montanis siccis versus pagum Hahndorf. 27. April 48. Austr. merid.

Specimina ex collect. Stuart. Nro 32. 33. a Müllero missa sunt, sed ubinam et quando lecta? In Herb. Hooker. adtulerunt ex Insula Van Diemen. Dr. Scott. Mr. Lawrence. Mr. Gunn. 21. 193. 217. 309. 640. 786.).

Specimina hujus speciei mihi obvia valde dissimilia sunt, discedunt praesertim forma ac gradu vestitus. Specimina sub Nro 5. simillima sunt T. denticulatae Sieb., quae bona species mihi esse videtur; illa sub Nro 2 et 3 in T. calvam F. M. var. γ mihi transeunt; illa duo, in George-town lecta distinctissima forma pyriformi capsulae et foliorum margine villosiusculo valde excedunt et forsan propriam speciem indicant. Specimen unicum a cl. Gunn in Insul. Van Diemen lectum quod vidi in Hb. Sonderian. foliis latioribus, margine non revolutis superne olivaceis subtus pallidis a forma primaria differt.

8. **Tetratheca calva** *Ferd. Müll.*

Caule erecto, a basi ramoso, cum ramis glabro (in specimm. in Ins.

Van Diemen lectis hinc inde pilis longis albis perpaucis adpressis instructo) foliis linearibus, superioribus sessilibus, inferioribus in petiolum brevissimum attenuatis, approximatis, subverticillatis, vel alternis, nunquam oppositis, subglabris, margine paullo revolutis, pedunculis solitariis, axillaribus (brevioribus ut in T. pilosa) glaberrimis, levissime striatis, unifloris, floribus tetrameris, rarissime pentameris, sepalis utrinque glaberrimis vel in speciminib. in Sandscrubb. lectis setulis nonnullis brevissimis instructis, trinervatis, antheris c. filamentis crassiusculis concoloribus, atropurpureis glaberrimis, superne in tubulum brevissimum longitudine filamenti productae; tubulo poro apicali instructo; ovario obovato, pilis nonnullis rubicundis obtecto, stylo filiformi basi pilosiusculo (in specimm. c. calyce piloso stylus undique glaberrimus invenitur) medio et apice glaberrimo. Capsulam cum seminib. maturis non vidi.

T. calva Ferd. Müll. in literis.

Syn. *T. glandulosa Labill.* var. β 2. (glabrata) Hook. in London Journal of Botany 1834. Tom. 1. p. 248. — Schlecht. Linnaea Vol. 20. p. 634. Tom. 2. p. 408. — Compan. to Bot. Mag. Tom. I. p. 274.

Steetz. Tremandr. et Lasiopet. p. 11.

Specimina mihi obvia fruticuli aut solum rami eorum sunt. Radix stirpalis brevis, radiculis horizontalibus instructa, multiceps, caules ex radice generali exorti, erecti, simplices vel ramosi, inflorescentiam racemiformem aut apice flores sparsos gerentes, rami subadpressi, ruguloso-striati, caules et rami undique subglaberrimi. Folia subcoriacea, superiora sessilia, inferiora in petiolum brevissimum attenuata, linearia, apice acutiuscula, margine integerrimo, usque ad partem folii quadrantem revoluta, subtus nervo primario valido prominulo instructa, glaberrima, superne versus marginem setulis albis rigidis nonnullis instructa, approximata, subverticillata vel alternantia nunquam opposita (copiosius et densius caulem ramosque tegentes ut in T. pilosa) 4—10 lin. longa, ½—1½ lin. lata, superiora inferioribus longiora et angustiora. Pedunculi axillares, 4—6 lin. longi (breviores ut in pilosa) glaberrimi, flavescentes, levissime striati, uniflori, solitarii, apice incrassati, basi stipulis duabus subsetaceis flavescenti-viridibus suffulti. Flores tetrameri, rarissime pentameri; sepala ovata, subacuta, trinervata, utrinque glaberrima vel in nonnullis speciebus utrinque setulis albis minimis obtecta, 1½—2½ lin. longa, ½—1 lin. lata. Petala obovata, paullo acuminata, lilacino-purpurea aut alba, erecta, sepalis quadruplo longiore in speciminibus floribus rubris; in specim. florib. albis sepala longiora sunt. Stamina octo, apice conniventia, uniseriatim disposita, filamenta semiteretia, abbreviata, c. antheris concoloria, atropurpurea, antherae subcylindricae, glaberrimae, introrsum fere nigrae, quadriloculares, filamentis triplo — quadruplo longiores, apice in tubulum pallidiorem filamentorum longitudine poro apicali amplo instructum, productae. Ovarium sessile, subobovatum, non plane pyriforme, compressum, biloculare, roseo-viride loculis uniovulatis, superne pilis albis mollioribus et rubicundis setu-

losis, versus apicem setis brevissimis albis intermixtis perpaucis obtectum. Stylus basi pilosiusculus, basi et medio purpurascens, apice flavescens, medio et apice glaberrimus, longitudinaliter obsolete striatus, stamina paullo superans. Capsulam maturam cum seminibus frustra quaesivi.

In Insula van Diemen leg. Gunn cum florib. rubris. in Herb. Reg. Berol. et cl. Müllerus c. flor. in Hb. Sonderi. In Austral. meridionali in locis sequentibus cl. Müller legit; cum floribus rubris in

1. Lobethal, exeunte Julio 48. (specim. c. florib. pentameris)
2. In montibus ad rivulum Third-kreek. Aug. 48.
3. Barossa-range sub Nro 48. ab Oswald. lect. a Müll. missa cum floribus albis (conf. Hooker in Journ. of Botany II. 408. T. glandulosa Lab. var. β 1.
4. In montibus circa oppidulum Macclesfield. Septbr. 48.
5. Bugli-range, ad flum. Murray. Init. Novbr. 48.

In Herb. Hook. adtulerunt ex insula Van Diemen Dr. Scott, Mr. Lawrence, Mr. Gunn et J. D. Hooker.

β pulchella Ferd. Müll. differt a specie primaria habitu gracillimo, caule ramosiori, humiliori, foliis multo brevioribus, floribus multo minoribus. In Insul. Van Diemen legerunt Gunn et „in montibus altis Tasmanniae“ cl. Müller., in Herb. Sonder.

γ hispidula mihi differt a forma primaria sepalis utrinque setis albis brevissimis instructis. Introrsum setulae mihi copiosiores esse videntur.

In planitie arenosa versus lacum Victoria 28. April 1848 et in Sandscrubb. Sept. 48. leg. Müller. in Herb. Sonder.

9. **Tetratheca ericaefolia** *Smith.*

Caule tereti ramoso, ramis basi glabris, medio et praesertim apice hirsutiusculis, foliis sessilibus, margine revolutis, remote obtuse dentatis, coriaceis, hinc inde superne versus marginem setis rigidulis instructis, verticillatis, verticillos tri-, tetra- vel pentaphyllos formantibus, pedicellis axillaribus filiformibus, basi glaberrimis, folia triplo-quadruplo superantibus; floribus tetrameris, petalis cuneatis, paullo acuminatis, uninerviis; antheris subcylindricis cum filamentis compressiusculis brevissimis atropurpureis, apice in tubulum flavescentem poro terminali instructo productis; ovario sessili subrotundo, glaberrimo, roseo-purpureo vel in speciminibus nonnullis viridi-purpurascente, stylo recto, stigmate simplici. Fructus et semina non vidi.

T. ericaefolia Smith Exotic. Botany Vol. I. p. 37. tb. 20. — Rudge in Transactions of the Linnean Society Vol. VIII. p. 295. tb. XI. — Sprengel Syst. Veget. II. 214. Nro 1. — De Cand. Prodr. I. 343. Nro 4. — Steudel Nomencl. Vol. II. 673. — Dietrich 1707. Nro 4. — Syn. Tetr. adenocalyx F. Müll. in litt.

Fruticulus pulcher ½—1½ pedalis. Caulis erectus, ramosus, cum ramis teres inferne pilosiusculus, medio et praesertim versus apicem hirsutiusculus, ruguloso-striatus, rami subsimplices, patentes. Folia subcoriacea, sessilia, linearia, acutiuscula, 3—4 lin. long. ¼—½ lin.

lata, margine fere usque ad nervum primarium valde prominulum revoluta, remote obtuse dentata, dentibus setula alba rigida vestita, apice in setam albam validiorem producta, semper verticillata, inferiora in vertic. triphyllos superiora in verticillos 4—5 phyllos, suprema in verticillos densos disposita. Pedicelli axillares, solitarii, exstipulati, uniflori, apice cernui, filiformes, glaberrimi, folia triplo-quadruplo longitudine superantes, apice paullo incrassati. Sepala 4, forma fere deltoidea, basi paullo dilatata, acuminata, uninervia, utrinque glaberrima, (rarissime sepala pilosiuscula observavi), $^3/_4$ — 1 lin. longa, purpurascentia. Petala 4, cuneata, basi paullo attenuata, acutiuscula, uninervia, purpureo-rosea, patentia, 4—5 lin. longa. Stamina 8, conniventia, antherae subcylindricae quadriloculares, loculi exteriores inferioribus majores cum filamentis subcompressis adscendentibus, abbreviatis concolores, atropurpureae, apice in tubulum flavescentem poro apicali instructo, productae. Ovarium sessile, subrotundum, fere orbiculare, glaberrimum, purpurascens, stylus rectus, stamina adaequans basi purpureo-roseus, medio et apice subflavus, stigma simplex. Ovarium biloculare, loculi biovulati rarissime uniovulati. Ovula funiculo brevi appensa, rhaphe appendiculata instructa, bina superposita, rarissime solitaria.

In Nova Holland. orientali legerunt Sieber. (sub Nro 234 ab ipso distribut.) Cunningham, Andersen etc. Specimin. vidi numerosa e Port Jackson et Blue Mountains in Herb. Reg. Berolin.; nec non in Herb. Willden. sub Nro 7230, in Hb. Lehmann. Sonder. et Steetz. In Nov. Cambria leg. Müll. in Hb. Sonder. et admisit suo nomine T. adenocalyx F. M. In littoribus Nov. Holl. occident.-merid. haec planta apud Detroit d'Entrecastaux lecta est, unde specimin. vidi in Hb. Kunth, quae beat. Kunth 1819 ex Mus. Paris. adtulerat.

Tetrathec. ericaefolia Sm. planta valde polymorpha est. Variat enim foliis quaternis, quinis ternisve in uno eodemque specimine, porro calycibus glaberrimis et glanduloso-pilosis, floribus majoribus minoribusque. Omnes hasce varietates (rarissime calyces pilosos) in speciminibus numerosis a me investigatis comparavi et transitus ab altera forma in alteram observavi. Differt vero constanter a T. pilosa Lab. pedunculis elongatis, folia longe superantibus, semper glaberrimis et foliis semper verticillatis. In T. pilosa Lab. pedunculi glanduloso-pilosi folia vix excedunt et folia terna vel sparsa, alterna posita sunt.

10. **Tetratheca denticulata** *Sieber.*

Caule ramoso, inferne glaberrimo, cum ramis tereti, ramis subpilosiusculis; foliis sessilibus, margine paullo revolutis, acute dentatis, dentibus et apice seta rigida patenti instructis, inferioribus alternis, superioribus oppositis, linearibus; pedicellis axillaribus, foliis brevioribus; floribus tetrameris, petalis ovatis, breviter acuminatis; antheris cum filamentis compressiusculis brevissimis nigro-bruneis, rugulosis, scabriusculis, apice in tubulum filamenti longitudine poro terminali amplo instructo productis; ovario pilis glanduliferis copiose tecto, sub-

rotundo, minimo; stylo tortuoso filiformi, ovario quadruplo longiore, basi pilis albis et glanduliferis vestito, medio et superne glabro.

T. denticulata Sieber Sprengel Syst. Veget. Vol. IV. P. II. p. 147. — Steudel Nomencl. Bot. II. p. 673. — Syn. *T. pilosa Sieb. v. denticulata Sieb.* Steetz. Tremandr. e. Lasiopet. p. 11.

Fruticulus pedalis et ultra, caulis jam a basi ramosus, cum ramis ramulisque patentibus teres, inferne et medio glaber, ruguloso-striatus; versus apicem pilis solitariis albis vestitus. Folia coriacea, sessilia, basi attenuata, margine paullo revoluta, acute dentata, dentibus et apice setis validioribus, nervo primario subtus valde prominulo in apicem acutum exeuntem instructa, superne leviter ruguloso-striata, subglabra, inferne pilis sparsis longis albis vestita, 3—6 lin. long., $^1/_2$—$1^1/_2$ lin. lata, inferiora sparsa alterna, superiora opposita, densius disposita, rarissime ternatim verticillata. Pedicelli axillares, solitarii, uniflori, arrecti, pilosiusculi, pilis glanduliferis rubris praesertim sub apice incrassato vestiti, 2—$2^1/_2$ lin. long., bracteis duabus angustis minimis viridi-flavis suffulti. Sepala quatuor, ovato-lanceolata, acuta, margine pilis longis glanduliferis vestita, utrinque subpuberula, pedicellis breviora. Petala 4, roseo-purpurea, 5—7 nervia, basi macula purpurea fere inconspicua instructa, ovata, apice breviter acuminata. Stamina 8, conniventia, filamenta semiteretia, $^1/_2$ lin. longa, adscendentia; antherae subcylindricae, quadriloculares, utrinque sulcatae, leviter rugulosae, cum filamentis nigro-bruneae, apice in tubulum filamentis breviore productae; tubulus flavescens, poro apicali amplo instructus. Ovarium sessile, subrotundum, minimum, fere $^1/_2$ lin. long. compressum, dense (praesertim margine et medio) pilis glanduliferis rubris vestitum. Stylus tortuosus, basi pilis albis longis et pilis glanduliferis rubicundis obtectus, medio et superne glaberrimus, flavescens. Ovarium biloculare, loculis uniovulatis, ovula funiculo brevissima appensa, rhaphe appendiculata instructa. — Plantam fructiferam non vidi. — Specimina a cl. Siebero in Nov. Holland. austral. lecta et ab ipso sub Nro 236 distribut. in Herb. Reg. Berol. Lehmann. Sonder. vidi.

11. **Tetratheca baueraefolia** *Ferd. Müll.*

Caule ramoso, foliis sessilibus vel in petiolum abbreviatum attenuatis, inferioribus rhombeo-ovatis vel fere cuneatis, superioribus paullo approximatis, ovato-lanceolatis, acuminatis, omnibus verticillatis, internodiis foliis paullo longioribus vel aequantibus, pedicellis axillaribus, binis ex quovis verticillo, non nisi ex foliorum verticillis supremis exeuntibus, filiformibus, foliis triplo quadruplove longioribus, glaberrimis; floribus tetrameris, antheris cum tubulo ipsis multo breviore glaberrimis, ovario subrotundo, villoso; stylo recto.

T. baueraefolia F. Müll. in litter.

Fruticulus pulcherrimus, sine ullo dubio cum T. ciliata Lindl. gracillima omnium hujus generis specierum. Caulis $^1/_2$—1 pedalis, non nisi basi parce ramosus, inferne subglaber, scabriusculus, medio et superne cum ramis hispidulus, setis his patentibus intermixtis vesti-

tus, teres, cortice fuscescenti-cinerascente ruguloso-striato obtectus. Rami eodem vestitu gaudent, apice bi- vel trifurcati, hispidi, interdum setis validioribus intermixtis vestiti. Folia inferiora breviter petiolata vel in petiolum brevissimum attenuata, rhomboideo-ovata, fere cuneiformia, superiora sessilia ovato-lanceolata, acuminata. Folia omnia uninervia, coriacea, supra rugulosa, minute punctulata, setis minimis albis patentibus vestita, subtus pallida, nervo medio valde prominulo setifero instructa, margine paullo revoluta, pilis longis ac setis albis vestita, in verticillos 5—7 phyllos disposita, internodia foliorum longitudine aut minus longiora, verticilli superiores paullo approximati; folia 3—5 lin. longa, 1½ lin. lata, superiora interdum angustiora et longiora, margine copiosius setis albis rigidis vestita. Pedicelli pollicares, axillares, non nisi bini ex supremo foliorum verticillo exeuntes, erecti, purpurei, uniflori, apice paullo incrassati, glaberrimi, filiformes, basi semper stipulis duabus minutissimis, angustis, membranaceis roseis suffulti. Sepala quatuor, utrinque glaberrima, bruneo-purpurea, margine breviter ciliolata, ovata, breviter acuminata, 1½ lin. longa, ¾ — 1 lin. lata. Petala quatuor, obovata, cuneata, brevissime acuminata, basi attenuata, patenti-erecta, lilacino-rosea, basi macula purpurea instructa, nervis longitudinalibus multis notata, 4—5″ longa. Stamina 8, conniventia, filamenta crassiuscula, subcompressa, adscendentia, antherae basi ciliis sparsis obtectae, scabrae, subcylindricae, leviter sulcatae c. filamentis concolores, atro-purpureae, superne in tubulum flavescentem brevissimum productae, tubuli poro amplo apicali instructi. Ovarium viride, sessile, subrotundum, villosum, stylus basi pilosus, medio et superne glaber, rectus, basi et medio purpurascens, apice flavescens, stamina superans, stigma simplex. Ovarium biloculare, loculis uniovulatis, ovula apice funiculo brevissimo appensa, rhaphe appendiculata instructa. Capsulam cum seminibus nunquam vidi.

In Australas. meridionali in monte Mount Disappointment prope Melbourne a cl. Müllero Octbr. 52 lecta. Hb. Sonder. Tria tantum specimina exstant.

12. **Tetratheca thymifolia** *Smith.*

Caule ramoso, vel ramosissimo, cum ramis tereti, ramis inferne hispidulis, superne pilosis (in forma „latifolia“ pilosissimis); foliis sessilibus, ternis, quaternis vel quinis, verticillos formantibus; rarissime oppositis, ovatis, apice acutiusculis, basi attenuatis, margine paullo revolutis, remote repandulis vel obtuse dentatis pilis longis albis vel setulis flavescentibus instructis; in forma latifolia utrinque setulis albis crebris vestitis, superne rugulosis; in forma angustifolia utrinque subglabris; pedicellis axillaribus, filiformibus, folia triplo superantibus pilosis, floribus tetrameris; petalis ovatis acuminatis; antheris scabriusculis, filamentis compressiusculis semilineam longis, concoloribus, atropurpureis, tubulo brevissimo flavescenti poro apicali amplo instructo; ovario ovato, pilosiusculo, piloso, villoso (ovarium glabrum quod Steetz observavit, nunquam vidi), stylo basi pilis longis albis instructo, stigmate simplici. —

T. thymifolia Sm. Exotic. Botany Vol. I. tb. 22. p. 39. De Cand. Prodr. I, 343. Nro. 5. — Sprengel Syst. Veget. II, 214. Nro. 4. — Dietrich 1707. nn. 5. — Steudel Nomencl. Botan. II, 673.

Fruticulus pedalis et ultra. Caulis teres, jam a basi ramosus, inferne cum ramis pilosus, medio et praesertim in parte superiore dense pilosus. Folia sessilia, vel in petiolum brevissimum attenuata, nervo primario subtus prominulo valido instructa, rugosa vel scabra, in forma angustifolia utrinque subglabra, setulis sparsissimis instructa in forma latifolia utrinque pilis longis albis setis brevioribus rigidulis intermixtis dense vestita; margine revoluta, pilosa, (in forma angustifolia interdum obsolete dentata vel remote repandula, dentibus setulis instructis) verticillos tri-, tetra- vel pentaphyllos formantia, subcoriacea, acuminata, superne flavo-viridia, subtus pallidiora, 3—5 lin. longa, 2—3 lin. lata, superiora sensim angustiora et acuminatiora, (in forma latifolia praesertim marginibus et nervis pilis crebris obtecta). Pedicelli axillares, solitarii ex axilla folii cujuslibet, uniflori, solum ex supremis foliorum verticillis exeuntes, 9—10 lin. longi, filiformes, apice paullo incrassati, erecti, pilosi, praesertim versus apicem (forma latifolia pedicellos pilosiores habet). Sepala 4, ovata, longe acuminata, margine et utrinque pilis et setulis albis (praesertim in forma latifolia) obtecta, uninervia, nervo dense piloso, purpurascentia, 2—2½ lin. longa. Petala quatuor, ovata, breviter acuminata, trinervia, roseopurpurea, macula atrosanguinea instructa, 3—5 lin. longa, patentia. Stamina 8, conniventia. Antherae scabriusculae, in nonnullis floribus ciliolis perpaucis adpressis in infima parte instructae, subcylindricae, quadriloculares, atropurpureae fere nigrae, filamenta compressa, ½ lin. longa, purpurascentia; tubulus antherarum flavescens, abbreviatus, poro apicali amplo instructus. Ovarium sessile, ovatum, compressum, biloculare, pilosiusculum, pilosum vel dense pilosum. In forma latifolia semper ovaria dense pilosa observavi laete viridia. Loculi uniovulati vel biovulati, ovula pendula, rhaphe appendiculata instructa, stylus filiformis, stamina paullo superans, basi pilis longioribus ut in ovario instructus, medio purpurascens glaber, apice c. stigmate simplici flavescens. Capsulam cum seminibus nunquam vidi.

In Austral. orientali legerunt Sieber et distrib. sub Nro. 525, Cunningham, in Herb. Reg. Berol. Willdenow sub Nro. 7229 Kunth Lehmann. et Müll. in Hb. Sonder.

α. latifolia in Herb. Lehmann. et Müll. in Hb. Sonder.

β. angustifolia in Herb. Reg. Berol. Willden. et Lehm. Sieber solum formam *β* legit.

Cl. Steetzius in Hb. Lehmann. distinguit T. thymifoliam leiocarpam et T. thymifoliam hebecarpam. Quum vero fructus nunquam vidi, varietates ut supra distinxi mihi accuratiores esse videbantur. Th. thymifolia var. leiocarpa est comparationibus exactis institutis T. thymifolia var. angustifolia mihi. Differt prima fronte haec forma foliis angustioribus, fere linearibus, subglabris, scabriusculis, margine pilis perpaucis vestitis.

13. **Tetratheca ciliata** *Lindl.*

Caule a basi ramoso, cum ramis tereti, ramis simplicibus vel compositis elongatis; caule cum ramis basi pilosiusculo, apice cum ramulis junioribus hispidulis setis albis intermixtis vestito; (rarius caulem medio glabrum inveni) foliis rhombeo-ovatis, in formam orbicularem apice acuminatam transeuntibus vel fere cuneatis breviter acutatis, basi in petiolum brevem attenuatis, alternis, oppositis, subverticillatis vel verticillatis, margine subciliatis, nervis setis brevibus albis obtecti, utrinque praesertim subtus pubescentibus, vel glaberrimis; pedicellis filiformibus, patentibus, folia superantibus vel brevibus, axillaribus, solitariis, bracteis duabus linearibus membranaceis suffultis, unifloris; floribus tetrameris, petalis albis vel purpureis vel carneis, obovatis; antheris octo quadrilocularibus subcylindricis, glaberrimis, lateribus sulcatis, filamentis tubulos aequantibus brevissimis; ovario sessili, pilis glanduliferis et setis albis obtecto. Capsulam nunquam vidi. —

Tetratheca ciliata Lindl. in Mitch. Austr. II, 205. Hook. Icon. pl. III. tb. 268. — Wlprs Repert. Bot. Syst. Vol. I. p. 249. Vol. II. Suppl. I. p. 770. — Annal. des scienc. natur. XV. 57. — Hook. Journ. of Bot. II. p. 408.

Fruticulus pulcherrimus, 1—3 pedalis. Caulis ramosus, vel ramosissimus, in vestitu cum ramis varians ut supra descripsi, rami alterni, aut terni, pubescenti-hirsuti, praesertim infra et supra basin foliorum setis albis patentibus rigidulis vestiti patenti-curvati, vel subarrecti. Folia breviter petiolata, subcoriacea, plerumque ternatim verticillata, verticillis tetraphyllis intermixtis, forma suborbiculari apice brevi producta, vel rhombeo-ovata, vel cuneata, margine ciliata, subtus praesertim nervis setulis albis brevissimis instructa, pallidiora, superne nervo medio prominulo valido instructa, reticulato-venosa, e cinereo viridia, versus apicem margine paullo revoluta, utrinque setis albis brevissimis vestita 3—8 lin. longa, 2—5 lin. lata, superiora sensim minora et angustiora. Pedicelli solitarii, axillares, copiosius ex axilla foliorum superiorum, basi stipulis duabus linearibus purpurascentibus suffulti, uniflori, dense pubescentes, juniores foliis breviores, adultiores folia superantes, apice paullo incrassati nutantes. Sepala quatuor, ovata, basi paullo dilatata, apice acuminata, uninervia, nervo glabro, purpurascentia, margine pilis longis albis pilis glanduliferis intermixtis utrinque pilis brevioribus glandulosis setis albis vestita. Petala quatuor lilacino-purpurea, carnea, vel alba (teste cl. Müllero) 3—5 lin. long., obovata, 2—3 lin. lata, basi paullo attenuata, macula atrosanguinea instructa, multinervia. Stamina 8, filamenta crassiuscula, ascendentia, ½ lin. longa, compressiuscula, antherae subcylindricae, quadriloculares dissepimentorum ruptu spurie biloculares, lateribus profunde sulcatae c. filamentis concolores, atrosanguineae, apice in tubulum basi concolorem apice flavescentem poro apicali amplo instructum productae, glaberrimae, tubulus brevissimus, filamentorum longitudine. Ovarium sessile, viridi-purpurascens, ovatum basi paullo attenuatum, compressum, undique crebre pilis glandulosis setis albis longis intermixtis obtectum, biloculare, loculi semper biovulati, ovula

superposita, funiculo brevissimo appensa, rhaphe supra chalazam appendiculata instructa. Stylus rectus, longitudinaliter sulcatus, stamina non superans, basi pilosus, medio et apice glaberrimus, purpurascens, stigma simplex. Specimina fructifera frustra quaesivi.

In Austral. meridion. leg. Bonald. Gunn. Esq. Nro. 648 (Abundat at West Head, near the mouth of the Tamar.). In Austr. felice leg. Major Mitchell, specimina ab eodem lecta in Hb. Reg. Berol. vidi. In districtu circa oppida Melbourne et Port. Philip. legit cl. Müllerus in locis sequentibus (Herb. Sonder.).

1. Ad limit. oriental. Colon. Nov. Holl. aust. Oct. 48.
2. In regionib. austr. Nov. Holl. Griechen Bay. Decb. 48.
3. In monte Gambir. Nov. Holl. austr.

β. glabra mihi differt prima fronte foliis angustioribus, minoribus, margine revolutis, utrinque glaberrimis, habitu graciliori.

Promiscue cum forma primaria ad limit. orient. col. Nov. Holl. austr. Oct. 48, porro in vallibus versus Mount Disappointment (florib. purpureis, carneis et albis) Octb. 52 nec non in Planty-Creek prope Melbourne Octb. 52 cl. Müller. in Hb. Sonder. legit.

In forma primaria florem unicum trimerum observavi.

14. **Tetratheca glandulosa** *Labill.*

Caule ramoso, cum ramis tereti, undique pilis glanduliferis subflavis et setis albis rigidulis obtecto; foliis alternis, serrato dentatis, subcoriaceis, dentibus et apicibus setas subflavas glanduliferas gerentibus, basi in petiolum brevissimum attenuatis, supremis sessilibus subtus pilis glanduliferis, superne setis albis brevioribus crebrius obtectis, pedicellis axillaribus, 4 — 6‴ long., cernuis pilis glanduliferis setis albis rigidulis intermixtis undique vestitis, unifloris, stipulis suffultis; sepalis extrorsum pilis glanduliferis, margine et introrsum pilis albis instructis, petalis obovatis, trinervatis, filamentis crassiusculis ½ lin. longis, antheris 8, glaberrimis in tubulum brevissimum productis, ovario hispido, pilis glanduliferis undique obtecto, stylo basi hirsutiusculo, medio et apice glaberrimo, capsula basi attenuata, apice paullo emarginata, villosa, biloculari, seminibus solitariis in quovis loculo, pendulis, pilis longis adpressis vestitis et rhaphe appendiculata instructis.

T. glandulosa Lab. Nov. Holl. pl. I. tb. 123. Dec. Prodr. I. 343. Nro. 2. — Spreng. Syst. Veget. II, 214. Nro. 5. Dietrich. 1707. Nro. 2. — Steudel Nomencl. bot. II, 673. Hook. Journ. of Botany I. p. 248. — II. p. 408.

Fruticulus pulcher 1 — 3 pedalis. Caulis erectus, ramosus vel ramosissimus, apice simplex, cum ramis subadpressis teres, verrucoso-striatus, hirsutus; caulis solum apice, rami et ramuli ubique pilis glanduliferis obtecti. Folia subcoriacea, subsessilia, inferiora in petiolum brevissimum attenuata, margine serrato-dentata, dentes pilos glanduliferos gerentia, superne nervo primaria medio impresso, setoso-strigosa, plerumque glaberrima, interdum pilis glanduliferis subflavis et setis albis obtecta, subtus setis flavescentibus rigidis vestita, nervo

medio prominulo setoso instructa, alternantia, rarissime opposita, 2—6 lin. longa, 1—3 lin. lata, superiora longiora et angustiora. Pedicelli axillares, solitarii, uniflori, cernui, filiformes, pilis glanduliferis patentibus vestiti, apice paullo incrassati, basi stipulis duabus suffulti, stipulae purpurascentes, subcoriaceae, apice et margine pilis glanduliferis rubris instructae, 5—8 lin. long. Sepala quatuor ovata, acuminata 1—2 lin. longa, extrorsum pilis glanduliferis et setis brevibus albis obtecta, introrsum praesertim margine albo-hirsuta, purpurascentia. Petala quatuor, obovata subacuta, lilacino-purpurea. Stamina octo, conniventia; filamenta semiteretia, ½ lin. longa, concoloria; antherae subcylindricae, quadriloculares, in tubulum filamenti longitudine productae, glaberrimae, atropurpureae, tubulus poro apicali amplo instructus, apice flavescens. Ovarium sessile, ovatum, basi attenuatum, compressum, biloculare, basi pilis glanduliferis rubicundis obtectum, versus stylum hispidum, biloculare, loculi uniovulatis, rarissime biovulatis, abortu monospermis. Stylus stamina multo excedens, flexilis, basi et medio hispidulus, apice glaberrimo, utrinque longitudinaliter leviter sulcatus, stigma simplex. Capsula obovata, basi attenuata, forma fere pyriformi, compressa, utrinque longitudinaliter sulcata, aspera setulis parvis rigidulis et pilis glanduliferis nonnullis obtecta, 2—2½ lin. longa, 1—1½ lin. lata. Semina solitaria in quovis loculo, in angulo superiori placentae funiculo brevissimo appensa, loculum totum explentia, rhaphe appendiculata instructa ab arillo membranaceo omnino tecta, basi pilis nonnullis albis adpressis vestita. Testa brunea, fragilis. Albumen carnosum, embryo cylindricus, in albuminis axi, radicula hilum spectans.

α. florib. intense roseis.

β. florib. luteis.

γ. angustifolia mihi, folia omnia multo angustiora ac paullo breviora. Van Diemensland. Hb. Sonder.

In Australas. et in Ins. Van Diemen orient. legerunt Labillardière (Herb. Reg. Berol. Willdenow sub Nro. 7231). Kunth., Lehman. in Tasmannia Gunn. (Hb. Sonderian.). Hooker fil. (Hb. Sonder.) et Müller. (Hb. Sonder. et Steetz.). Specimen in Cap. Van Diemen in Insul. Melville lectum in Hb. Kunth. vidi. Beat. Kunth. a cl. Willdenow acceperat.

In Herb. Hooker. legerunt α Mr. Lawrence et Gunn. (194). β Mr. Lawrence.

III. Antherae in tubulum ipsis longiorem productae.

15. **Tetratheca viminea** *Lindl.*

Caule a basi ramoso, foliis subsessilibus, inferioribus rhombeo-ovatis, ternatim verticillatis internodiis multoties brevioribus, superioribus approximatis, ovatis verticillatis alternisve, pedicellis axillaribus gracilibus folia longe superantibus glaberrimis, floribus pentameris, antheris cum tubulo ipsis longiore gracillimo scabriusculis, ovario subovato cum stylo tortuoso glaberrimo, stigmate simplici; ovario biloculari,

loculis uniovulatis; capsula obovata, basi attenuata, seminibus solitariis in quovis loculo, rhaphe appendiculata instructis, arillatis.

T. viminea Lindl. in Append. ad Botan. Register. p. XXXVIII. Nro. 184. — Steetz in Lehm. Plant. Preiss. Vol. I p. 216. Nro. 7. — Walpers Repert. Bot. Syst. Vol. I. p. 249. ibid. V. 69.

Fruticulus pulcher. Caulis 1—2 pedalis et ultra a basi ramosus, inferne et interdum superne, praesertim sub foliorum verticillis, setis brevibus rufescentibus patentibus (basi bulbosis teste Steetz.) parce conspersus, ceterum cum ramis glaber, teres, cortice fusco-cinerascente ruguloso-striato tectus. Rami alterni, oppositi, vel (versus apicem caulis) verticillati, juniores interdum praesertim apice hirsutiusculi. Folia inferiora in petiolum brevissimum attenuata, superiora subsessilia, acuta uninervia, coriacea, supra rugulosa et minutissime punctulata, nitidula, superne olivacea, subtus opaca, nervo medio valde prominulo, utrinque et margine glabra, inferiora ternatim verticillata, subrhombeo-ovata vel subrotunda, internodiis multoties breviora, 3—5 lin. longa, 2—4 lin. lata, superiora ovata, sensim angustiora et minora, rarius verticillata, saepissime alterna, approximatiora, internodiis vix breviora, suprema (juniora) supra strigosa setulis albis sparsis obtecta, margine ciliata. Pedicelli pollicares, axillares, uniflori, patentes, filiformes, apice profunde striati, incrassati, glaberrimi, rubescentes, solitarii e quavis foliorum axilla, saepius ex verticillo triphyllo ternatim verticillati, basi semper (Steetz. plerumque sed non semper) stipula vel stipulis duabus deciduis suffulti, stipulae membranaceae, minutissimae, rubescentes. Sepala quinque, glabra, rarissime tenuissime ciliolata, ovata, trinervata, acuta, 1½ lin. longa, scabriuscula, membranacea, roseo-flavescentia, sub anthesi reflexa. Petala quinque, ovata, acuta, 3—3½ lin. longa, patenti-erecta, purpureo-rosea, basi macula atropurpurea notata. Stamina 10, conniventia, filamenta crassiuscula, compressa, basi tenuissime dilatata, concoloria; antherae subcylindricae, quadriloculares, ruptu praematuro dissepimenti spurie biloculares, lateribus sulcatae, basi rugulosae, levissime ciliolatae, (ciliolae albae adpressae) scabriusculae, cum filamentis concolores, atropurpureae, superne in tubulum ipsis paullo longiorem productae; tubulus gracillimus, levissimus, basi purpurascens, apice paullo attenuatus, flavescens, oblique subtruncatus, poro terminali amplo instructus. Ovarium sessile, ovatum vel subrotundum, compressum, roseum, biloculare, glaberrimum, scabriusculum. Stylus filiformis, tortuosus, stamina non superans, basi purpurascens, medio flavescens, apice albidus, undique glaberrimus, supra basin paullisper geniculatus et iterum sursus plicatus, utrinque longitudinaliter sulcatus. Stigma simplex. Ovula solitaria in quovis loculo, funiculo brevissimo appensa, loculum totum explentia, rhaphe appendiculata instructa. Capsula obovata (in speciminib. duobus calyce persistenti suffulta) basi attenuata, subpyriformis, stylo persistenti instructa, olivacea, glaberrima, verruculis albis creberrimis tecta. Semina solitaria in quovis loculo, pendula, arillata, apice inferiore ciliis longis albis adpressis obtecta.

In Nova Holland. meridion.-occid. ad flum. Vasse-River (etiam

specim. fructif.) in Herb. Reg. Berol. in arenosis umbrosis silvae Bellevue ad fluv. Cygnorum 5 Aug. 39 leg. Preiss. sub Nro. 1327. Specimina vidi in Herb. Reg. Berol. Lehmann. Sonder. Steetz. et propr. Cl. Steetz. duas varietates observavit quarum alterius tantum specimen unicum exstat, quod in Hb. ejus vidi.

β. microphylla Steetz. foliis multo minoribus, pedicellis paullo longioribus, petalisque obscure purpureis.

T. viminea Lindl. β microphylla Steetz. in Lehm. Pl. Pr. I p. 216.

Folia minora, 1—2½ lin. longa, ½—1½ lin. lata, pedicelli pollice paullo longiores et petala (in planta sicca saltem) saturrime; fere atropurpurea. Tota planta glaberrima est, folia juniora aeque ac in specie primaria apice sparse et minutissime strigilloso-setosa margineque ciliata sunt. Internae floris partes nullo modo divergunt, nec constructione, nec indumento, nec forma vel magnitudine.

In hac forma Steetzius ovarium trigonum, triloculare, loculis uniovulatis observavit.

In arenosis silvae prope oppidulum Albany (Plantagenet.) mense Nov. 40 legit Preiss. et distrib. sub Nro. 1318.

Specimen unicum exstans in Hb. Steetzian. et ramulum in Lehmann. Herb. normal. Plant. Preiss. vidi.

γ. setosa Steetz. caule ramisque pubescentibus setosisque, setis patentibus confertis, basi bulbosis, foliis hinc inde denticulatis, denticulis setigeris, subtus glabris, supra strigoso-setosis, pedicellis gracilioribus, floribus minoribus et ovario cum styli ima basi levissime ciliato.

T. viminea Lindl. γ setosa Steetz. in Lehm. Plant. Preiss. Vol. I, 217.

Folia inferiora supra plerumque glabrata et rami superne densius setosi. Steetz. cl. transitus speciei primariae in foliis supremis supra strigilloso-setosis, in ramis junioribus pubescentibus et in inferiore caulis parte qui haud raro setis similibus vestitus est, in hac varietate observavisse opinatur. —

An solum varietas?

In subarenosis sylvae ad fluvium Vasse-River (Lussen.) 24 Decmbr. 39 leg. Preiss. et distrib. sub Nro 1317.

Specimen in Hb. Steetz. et ramulum in Hb. Lehmann. vidi. —

16. **Tetratheca epilobioides** *Steetz.*
Caule ramoso, cum ramis tereti hirsutiusculo, foliis subsessilibus margine undulatis, revolutis, supra strigosis (in speciminib. Drummondian. laevioribus) subtus molliter hirsutis, in specimin. Drummond. nervo primario valde prominulo pilis longissimis albis obtecto, inferioribus alternis, oppositis, vel ternatim verticillatis, oblongo-ovatis, superioribus alternis lineari-oblongis, pedicellis axillaribus, filiformibus, glaberrimis, folia longe superantibus, floribus pentameris, petalis ovato-lanceolatis, acutis, erectis, antheris cum tubulo paullo longiore gracillimo apice glabro scabris, ovario subrotundo, compressiusculo, margine et versus

apicem pilis patentibus albis sparso vestito, stylo tortuoso, basi piloso, medio et apice glaberrimo.

T. epilobioides Steetz. in Lehmann. Plant. Pr. I, 218. Nro. 1. — Walpers Repert. bot. syst. V, 69.

Fruticulus 1—3 pedalis pulcherrimus. Caulis erectus, basi simplex vel parce ramosus, apice simplex, cum ramis erectiusculis, ruguloso-striatus, hirsutiusculus, hinc inde pilis longioribus sparsis vestitus, vel glabratus. Folia coriacea, in speciminib. Drummondian. brevissime petiolata, in speciminibus Preissian. subsessilia (solum superiora in petiolum brevissimum attenuata) apice obtusiuscula, margine revoluta, undulata et obsolete denticulata, setis rigidis copiose tecta, penninervia, supra nervo medio-impresso, setoso-strigosa, setis marginalibus validioribus, subtus nervis omnibus prominulis et nervo medio pilis longis adpressis mollissimis obsito, molliter hirsutiuscula, (in specim. Drummond. folia subtus densius pilis albis vestita esse mihi videbantur) utrinque concoloria, opace flavo-viridia, inferiora opposita vel plerumque ternatim raro quaternatim verticillata, oblongo-ovata, 6—10 lin. longa, 3—4 lin. lata; superiora utplurimum alterna, raro opposita, sensim angustiora et breviora, lineari-oblonga fere linearia. Pedicelli axillares, solitarii, uniflori, solum ex foliorum superiorum axillis orientes, patentes, filiformes, glaberrimi, rubescentes, apice paullo incrassati, saepissime stipula minima bracteaeformi decidua (quam in specim. Drummondian. nunquam vidi) suffulti, 9—12 lin. longi. Sepala 5, ovato-lanceolata, valde acuta, 1½ lin. longa, membranacea, rosea, extrorsum glaberrima, introrsum albo-pubescentia, demum reflexa. Petala 5, ovato-lanceolata, acuta, fere semipollicares, purpureo-rosea, basi macula atropurpurea notata, erecta. Stamina 10, conniventia, filamenta adscendentia, compressiuscula, crassiuscula, semilineam longa, concoloria; antherae subcylindricae, quadriloculares, dissepimentorum loculorum ruptu spurie biloculares, basi et introrsum parce ciliolis longis albis adpressis obsitae, lateribus obsolete sulcatae, rugulosae et cum tubulo ipsis paullo longiore, gracillimo, sensim attenuatae, summo tantum apice glaberrimo, medio et apice flavescente, obliquo truncato et poro terminali instructo, verruculis creberrimis scabrae, atropurpureae vel fere nigrae. Ovarium sessile, subrotundum, compressiusculum, olivaceum subglabrum, marginibus et apice pilis mollibus albis sparso obtectum, biloculare; ovulum in loculis solitarium, apice funiculo brevissimo appensum; rhaphe appendiculata instructum. Stylus filiformis, tenuissimus, basi flava latiore pilis nonnullis albis patentibus vestitus, medio tortuosus, apice glaberrimus. Stigma simplex, acutum. Capsulam non vidi.

Swan River. leg. Drummond. 1839 in Herb. reg. Berol. In limoso-calculosis sylvae Mahogany-Creek et Halfwayhouse (Darlingsrange) 13 Septbr. 39 legit Preiss. et distr. sub Nro. 1325. Specim. vidi in Hb. Reg. Berol. Lehm. Sonder. Steetz. et proprio.

β. hirsuta Steetz. Caule ramisque setosis pedicellis hirsutis, styloque recto.

T. epilobioides β hirsuta Steetz. in Lehm. Pl. Pr. II, 233. T. hirsuta Lindl. in Append. Bot. Reg. XXXVIII. Nro. 187. — Walpers Rep. Bot. I. p. 249. V. p. 70. Annal. bot. syst. Vol. II. p. 87. — Bot. Reg. New Series XVII. tb. 67 — 1844. — Tremandra Huegelii Hort. Annal. bot. syst. Vol. I. p. 87. — Tremandr. floribunda hort. Annal. bot. syst. Vol. II. p. 87. — Payer. Annales des scienc. nat. vol. 15. tb. 20.

Caulis hirsutus, undique praesertim inferne setis patentibus rigidis rubris et pilis flavescentibus apice glanduliferis dense vestitus, rami parcius setis rubris, sed cum pedicellis pilis glanduliferis obtecti sunt. Folia fere margine integra, sepala margine pilis glanduliferis, ovarium utrinque eodem modo vestita sunt. Stylus paullisper tortuosus. Ovarium biloculare. Loculi uniovulati, ovula pendula, rhaphe appendiculata instructa.

Swan-River. Drummond. leg. 1839.

Colitur in Hort. bot. Hamburg.

17. **Tetratheca elongata** *mihi.*

Caule erecto, elongato, virgato, parce ramoso, cum ramis tereti, solum in parte superiore, cum ramis pilis longis setaceis patentibus vestito, foliis alternis vel oppositis, remote-paucidentatis, oblongo-linearibus, subtus glabriusculis, supra et margine setoso-strigosis, pedicellis gracilibus filiformibus glaberrimis axillaribus folia fere duplo superantibus; floribus pentameris, petalis obovatis patentibus lilacino-purpureis, basi concoloribus, filamentis brevissimis (vix ¼ lin. long.) antheris subcylindricis, quadrilocularibus, in tubulum ipsis longiorem productis, poro terminali parvo instructis, ovario ovato, cum stylo recto glaberrimo.

Tetrathec. setigera Lindl. β setigera Steetz. in Lehm. Plant. Preiss. I, 215. Nro. 5 *β*. — Walpers Rep. Bot. Syst. V. p. 68.

Fruticulus 2—3 pedalis, parce ramosus. Caulis solum in superiore parte rami pilis longis patentibus flavescentibus basi bulbosis setis minoribus rigidulis albis intermixtis vestitus, cortice fusco-cinerascente ruguloso-striato obtectus. Rami subsimplices, elongati, virgati ejusdem superficiei ut in caulis descriptione dixi. Folia sessilia, sparsa, inferiora utplurimum opposita, superiora alterna, linearia, obtusiuscula, 4—8 lin. long., 1—2 lin. lata, subcoriacea, margine remote obtuse pauci-dentata, dentibus seta longiore validiore instructis, margine revoluta, subtus nervo medio valde prominulo setoso instructa, subglabra, subfuscescenti-viridia supra strigoso-setosa, cinereo-viridia. Pedicelli axillares, solitarii, sparsissimi, basi interdum bracteola minima angustissima purpurascenti membranacea suffulti, glaberrimi, filiformes, 4—8 longi, uniflori, erecti, apice cernui, flavescenti-virides. Sepala 5, ovata, acutiuscula, olivacea, erecta, 1 — 1½ lin. longa, omnino glaberrima. Petala 5, obovata, patentia (ut mihi videtur) lilacino-purpurea, basi concoloria, sepalis triplo-quadruplove longiora. Stamina 10, antherae subcylindricae, quadriloculares, lateribus obtuse sulcatis, apice in tubulum productae, levissime rugulosae, filamenta

omnium specierum brevissima, adscendentia, subscabriuscula, tubuli anthera longiores, basi concolores, apice flavescentes, subglabri, poro terminali amplo instructi; antherae cum filamentis atro-purpureae. Ovarium sessile, ovatum, roseo-viride cum stylo glaberrimum. Stylus basi roseo-viridis, medio et apice flavescens, stamina paullo superans. Ovarium biloculare, loculi uniovulati, ovula funiculo brevi appensa, loculum occupantia, rhaphe appendiculata instructa. Capsula cum seminibus non exstat.

In subarenosis sylvae ad fluvium Canning (Perth.) mense Septbr. 1841. leg. Preiss. et distribuit sub Nro. 1322. Specim. vidi in Hb. reg. Berol. Lehm. Sonder. et Steetz.

Etiam in hac specie Steetz. ovarium anomalum (ut in T. viminea β microphylla) trigonum, triloculare, loculis uniovulatis, observavit.

18. **Tetratheca setigera** *Endl.*

Caule parce ramoso, tereti, ramis setigeris, foliis alternis, oppositis, subverticillatisve, ovato-oblongis grosse paucidentatis, (multo latioribus quam in spec. praecedente), subtus glabriusculis supra setoso-strigosis; pedicellis axillaribus gracilibus folia superantibus apice setulis hinc inde conspersis vel glabris, floribus pentameris, petalis obovatis patentibus purpureis basi concoloribus, filamentis brevissimis vix ullis antheris cum tubulo ipsis longiore, apice pallido, ovario ovato styloque recto, glaberrimo.

Tetr. setigera Endl. in Huegel. Enumer. Plant. p. 8. Nro. 24. — Steetz. in Lehm. Pl. Preiss. I, 214. Nro. 5. — Walpers Repert. Bot. Syst. Vol. I. p. 249. Vol. V. p. 68. — Steudel. Nomencl. Bot. II, 673.

Fruticulus ramosus, piloso-setosus, hispidulus. Rami pennae columbinae crassitie, cortice cinerascente, setis rigidulis patulis, rufescentibus vel flavescentibus basi subbulbosis conspersi. Folia sessilia inferiora ut plurimum ternatim quaternatimve approximata, subverticillata, superiora interdum alterna, ovato-oblonga, obtusiuscula, 5—8″ longa, 3—4‴ lata, coriacea, grosse paucidentata, dentibus utplurimum seta valida flavescente terminata, subtus glabriuscula nervo medio basi setoso, lateralibus nudis, supra strigoso-setosa. Pedicelli e summorum foliorum axillis, solitarii, viridi-flavi, uniflori, patentes, 6—9″ longi, filiformes, setis raris rigidis conspersi, sepala 5, oblongo-lanceolata, erectiuscula, lineam longa, omnino glaberrima vel nervo-medio extrorsum setoso-pilosa, flavescenti-viridia. Petala 5, obovata, purpurea, calyce triplo majora, patentia. Stamina 10, antherae quadriloculares, laevissimae, glaberrimae, subcylindricae, apice in tubulum, anthera longiorem poro terminali amplo instructam producta, tubulus solum in suprema parte flavescens. Ovarium ovatum, viride, compressum, glaberrimum, biloculare. Stylus omnino glaberrimus, basi viridis, medio et apice flavescens, filiformis, rectus; stigma simplex.

Ovula in loculis bina, collateralia superposita, funiculo brevissimo appensa, rhaphe appendiculata instructa. Capsulam frustra quaesivi.

Ad Sinum Regis Georgii III. leg. 1834 de Huegel. in Herb.

Caesar. Vindob. In solo turfoso-arenoso inter frutices densos ad Stirlings-Terrace (Plantagenet) 22. Sept. 40. leg. Preiss. sub Nro 1326. Vidi Specim. in Hb. Lehmann. novae Plant. Preiss.

19. **Tetratheca rubriseta** *Lindley.*

Caule ramoso, cum ramis tereti, in infima parte subglabro, medio et versus apicem cum ramis, praesertim cum ramis junioribus hirsuto hinc inde setoso, ramis elongatis, cortice cinerascente obtectis, foliis alternis, subverticillatis, subsessilibus, oblongo-ellipticis subintegerrimis margine revolutis, supra hispidulis, subtus molliter hirsutis (specim. Preiss. foliis pilosioribus gaudent) pedicellis axillaribus, filiformibus, folia superantibus apice incrassatis, striatis, setulis albis et rubicundis obsitis, floribus pentameris, antheris cum tubulo paullo longiore gracili solum apice glabro scabris, ovario ovato compresso, biloculari, pilosiusculo margine et versus apicem subvilloso, stylo recto basi hirsuto, medio et apice glaberrimo, stamina non excedente.

Tetratheca rubriseta Lindl. App. to the Botan. Regist. XXXVIII. Nro 185. — Wlprs. Repert. Bot. Syst. I. 249. — Annal. Bot. Syst. Vol. II. p. 87. Steetz. Plant. Preiss. II. p. 234.
Syn. *T. aculeata Steetz.* in Lehm. Plant. Preiss. I. 218. Nro 10. — Wlprs. Repert. Bot. Syst. Vol. V. p. 69.

Fruticulus pulcher, 1—2 pedalis. Caulis plerumque ramosus, infima parte subglabra, medio et praesertim versus apicem pilis rubris patentibus, setulis albis rigidis basi bulbosis, interdum glanduliferis intermixtis vestitus, cum ramis cortice fusco-cinerascente ruguloso-striato obtectus. Specimina Preissiana paullo densius caule ramisque pilosa sunt. Rami elongati eodem vestimento ut caulis (praesertim rami juniores) gaudent. Folia subsessilia, subcoriacea, plerumque alterna (rarissime subverticillata), versus apicem approximatiora, medio caulis ramorumque distantiora, oblongo-elliptica, subintegerrima, margine paullo revoluta, supra et margine hispidula, subtus molliter hirsuta, nervo primario valde prominulo dense hirsuto instructa, supra olivacea, subtus pallidiora, 3—6 lin. long. 1—2½ lin. lata, superiora sensim angustiora et breviora. Pedicelli axillares, solitarii, filiformes, folia multo superantes, stricti, apice valde incrassati, et profundius striati, setis validis rufescentibus patentibus obtecti, basi stipula brevissima minima, pallida suffulti. Sepala 5, ovata acuminata, in specieb. plurib. apice setula parva instructa, purpurascentia, pruinosa, scabriuscula, margine setulis rubescentibus nonnullis obsita, introrsum glaberrima, dimidio petalis breviora, 2½ lin. longa. Petala 5, ovata, paullo acumin. 5—6 lin. longa, roseo-purpurea, basi macula atrosanguinea notata. Stamina 10, conniventia. Filamenta subcompressa crassiuscula concoloria, antherae subcylindricae, lateribus sulcatae, verruculis albis scabrae, atrosanguineae, apice in tubulum paullo longiorem productae, tubuli poro apicali instructi, pallidiores, et apice flavescentes, verrucis minimis atropurpureis scabriusculi. Ovarium ovatum, roseo-viride marginibus et apice cum stylo basi dense villosum, ceterum pilosiusculum, compressum, flavescenti-viride, biloculare, loculis uniovulatis. Stylus rectus longitudinaliter sulcatus,

basi flavescenti-viridis, medio et superne pallidior, glaberrimus; stamina non superans. Ovula funiculo brevi appensa, loculum totum occupantia, rhaphe appendiculata instructa. Capsulam nunquam vidi.

Swan River leg. Drummond. 39 in Herb. Reg. Berol., in Australasia occident. leg. Preiss, et enumeravit sub Nro 1319. in Herb. Lehmann. et Steetz.

Solum specim. unic. cl. Preiss adtulit. In hoc caulis ramique paullo densius pilis rubris rigidis, pedicelli copiosius setis albis quam rubris obtecti sunt, nec non folia pilosiora et latiora mihi esse videntur.

20. **Tetratheca hispidissima** *Steetz.*

Caule tereti, ramoso, ramis setoso-hispidissimis, foliis breviter petiolatis alternis, oppositis, subverticillatisve ovalibus subintegerrimis, utrinque setosis margine setis validioribus vestitis, pedicellis axillaribus gracilibus, folia longe superantibus glabris vel apice setis raris conspersis; floribus pentameris, petalis ovatis acutis, antheris cum tubulo ipsis paullo longiore gracili scabris, ovario ovato adpresse hirsuto, stylo basi pubescente superne glaberrimo recto, staminibus breviore.

T. hispidissima Steetz. in Pl. Pr. Vol. I. p. 217. sub Nro 8. — Wlprs. Repert. Bot. Syst. V. p. 69.

Fruticulus 1½ pedalis. Caulis teres, inferne simplex et glabratus, versus medium ramosus et cum ramis strigoso-hispidus setisque rigidulis, patentibus, rufescentibus, basi bulbosis densissime onustus, praesertim in ramis junioribus. Folia breviter petiolata, alterna, opposita vel ternatim approximata, subverticillata, subcoriacea, ovalia, obtusiuscula, cum petiolis utrinque setoso-strigosa, margine subintegerrima vel levissime undulata, subrevoluta, ciliata, et setis validioribus longioribusque, rufescentibus, patentibus, sparsis, interpositis vestita, supra obscure viridia, subtus cum nervo medio prominulo setis onusto, pallidiora, inferiora 3—4 lin. longa, 2 2½ lin. lata, superiora sensim breviora et angustiora. Pedicelli axillares, solitarii, uniflori, in apice ramorum conferti, 6—9 lin. longi, filiformes, apice incrassati et nutantes, patentes, glabri vel versus apicem setis raris, plerumque glanduliferis conspersi. Sepala 5, ovata, acuta, patenti-erecta, purpurea, basi macula atropurpurea notata, 3—3½ lin. longa. Stamina 10, atropurpurea, apice albicantia, paullisper graciliora quam T. vimineae Lindl., a quibus ceterum non differunt. Ovarium sessile, ovatum, compressum, biloculare, pilis adpressis dense hirsutum. Stylus staminibus evidenter brevior, filiformis, rectus vel obsolete tortus, non vero tortuosus, basi latiore hirsutus, sensim attenuatus, supra medium glaberrimus. Stigma simplex. Capsulam non vidi.

Hujus speciei unicum specimen Preissius legit in arenosis silvae ad sinum Regis Georgii III. mense Octob. 40. et signavit Nro 1316. Vidi in Hb. Steetzian. et ramulum in Lehm. Hb. norm. Plant. Preissian. Foliis petiolatis utrinque setoso-strigosis, petalis basi macula atropurpurea notatis a T. setigera Endl., a T. viminea Lindl. γ setosa Steetz foliis non revera verticillatis et stylo staminibus breviore prima fronte distinguitur.

TRIBUS II. XANTHOTHECA.

21. **Tetratheca pilifera** *Lindley.*

Caule ramisque pubescentibus setosis, foliis subsessilibus basi attenuatis, ternatim verticillatis deltoideo-ovatis acutis ciliatis, basi et medio dentatis, dentibus setigeris; vel rarissime subintegerrimis supra hirsutiusculis, subtus glabris, pedicellis filiformibus folia paullo superantibus, floribus tetrameris et pentameris saepius promiscue in uno eodemque specimine, staminibus luteis in tubulum brevissimum productis.

T. pilifera Lindl. Append. ad Botan. Register. XXXVIII. Nro 188. — Steetz in Lehm. Pl. Pr. II. 234. Walpers Repert. Bot. Syst. I. p. 249. Syn. *T. Preissiana Steetz* in Lehm. Pl. Pr. Vol. I. p. 219. Nro 11. — Walp. Repert. Bot. Syst. Vol. V. 69.

Fruticulus pulcher, ½—1 pedalis. Radix multicaulis, cauli simplices vel rarius apice pauciramulosi. Ramuli alterni, vel ternatim verticillati, ut plurimum oppositi, cum caule teretes, pubescenti-hirsuti, asperi et undique praesertim infra basin foliorum setis elongatis, patentibus, flavo-rufescentibus, basi bulbosis onusti. Folia subsessilia, subcoriacea, utplurimum ternatim verticillata, pauca opposita vel alterna, deltoideo-ovata, acuta, ciliata, basi cuneato-attenuata, apice integerrima, basi et medio dentata, dentibus utrinque 1—6, acutis, inaequalibus, dentibus semper setigeris; vel rarissime tota integerrima, subtriangularia, supra obscure viridia, hirsutiuscula, nervo medio prominulo, valido, setulis sparsis hinc inde vestito, nervis lateralibus minus conspicuis, 2-6 lin. longa, 1—4 lin. lata, superiora sensim minora, ceterum conformia. Pedicelli solitarii, ex foliorum axillis plerumque ternatim verticillati, basi stipulis bracteaeformibus minimis rubescentibus suffulti, uniflori, patentes, filiformes, obscure-lutei, juniores folia vix superantes, pilosiusculi, adulti 6—8 lin. longi praesertim versus apicem pilosi. Sepala 4 vel 5, ovata, acuminata, lineam longa et ultra, extrorsum glabra, introrsum scabriuscula hirsutiuscula, margine pilis longis sparsis vestita, atropurpurea, rarissime viridia. Petala 4 vel 5 ovata saturrime purpurea, 2—3 lin. longa, basi macula aterrimo-purpurea notata, erecto patentia. Stamina 8 vel 10, filamenta filiformia, teretia, glaberrima, ½ lin. longa, erecta; antherae quadriloculares, subcylindricae, fere obtuse quadrangulae, lateribus sulcatae, glaberrimae, extrorsum paullo rubescentes, apice in tubulum filamenti longitudine productae, tubuli glaberrimi, poro terminali amplo, truncato instructi. Filamenta cum antheris tubulisque concoloria, lutea. Ovarium sessile, ovatum, compressum, biloculare, hirsutum, viride, loculis uniovulatis. Ovula funiculo brevissimo appensa, rhaphe appendiculata instructa. Stylus rectus, staminibus longior vel brevior, basi paullo latiore, hirsutiusculus, flavo-viridis; medio et apice glaberrimus, flavescens. Stigma simplex. Capsulam cum seminibus nunquam vidi.

Swan River leg. Drummond. 1839. in Herb. Berol., in arenosis

montis prope Cataractam versus caput fluvii Cygnorum 25. Juli 39. leg. Preiss et distrib. sub Nro 1323. Specim. vidi in Herb. Reg. Berol. Lehmann. Sonder. et Steetz.

22. **Tetratheca micrantha** *mihi.*

Caule gracili erecto, ramosissimo, pubescente, ramis ramulisque, subpatentibus tenuissime pubescentibus, foliis oppositis vel ternatim verticillatis, distantibus, in petiolum brevissimum attenuatis, deltoideis, margine paullo revolutis, utrinque glaberrimis, pedicellis axillaribus, folia aequantibus vel paullo longioribus, filiformibus, glaberrimis, basi stipulis duabus minimis suffultis, floribus tetra- vel pentameris, filamentis abbreviatissimis, antheris cum tubulo brevissimo concoloribus, luteis, glaberrimis; ovario suborbiculari, hirsutiusculo, stylo basi paullisper pilosiusculo, medio et apice glaberrimo.

Tetrath. Preissiana β integrifolia Steetz et Lehm. Pl. Pr. I. 220. Nro 11 β. — Walpers Repert. Bot. Syst. V. p. 64.
Tetr. pilifera Lindl. integrifolia Steetz in Pl. Pr. II. p. 234.

Suffruticulosa. Caulis gracilis, erectus, ramosus vel ramosissimus, 5—6 poll., cum ramis inferioribus subpatentibus et superioribus subadpressis teres, striatus, pubescens, pilis brevibus albis obtectus, praesertim sub foliorum verticillis. (Rarissime sub foliorum verticillis vel cicatricibus pilos longos flavescentes observavi, quae in T. pilifera Lindl. in his locis creberrime invenis.) Rami compositi, rarius simplices, praesertim versus apicem pilis longioribus albis obtecti.

Folia utplurimum opposita, rarius ternatim verticillata, supra bruneo-viridia, subtus pallidiora, subcoriacea, in petiolum brevissimum attenuata, ovato-deltoidea, interdum basi in utroque latere dente setuligero instructa, plerumque margine integerrima, margine paullo revoluta utrinque et margine glaberrima 2—4 lin. long. $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ lin. lata. Folia inferiora distantia, versus apicem approximatiora et sensim minora. Pedicelli axillares, uniflori, purpurei, filiformes, apice paullo incrassati, glaberrimi, solitarii, propter foliorum dispositionem interdum oppositi, rarius ternatim verticillati, longitudine foliorum, basi stipulis duabus suffulti. Stipulae roseae, membranaceae angustissimae. Sepala 4—5, angustiora et paullo longiora ut in T. pilifera, lanceolata, trinervata, 1 lin. longa, margine hinc inde pilis albis minimis mollibus obtecta, utrinque glaberrima, viridia vel rosea vel atropurpurea. Petala 4—5, atropurpurea, basi macula destituta, $1\frac{1}{2}$—$2\frac{1}{2}$ lin. longa. Stamina 8—10, filamenta minus erecta ut in T. pilifera, pallide-rosea, filiformia, teretia; antherae subcylindricae, sulphureae, quadriloculares, levissime rugulosae, lateribus profunde sulcatae, loculi internis exterioribus multo majoribus, apice in tubulum brevissimum concolorem productae, tubuli poro terminali amplissimo instructi, glaberrimi. Ovarium sessile, fere suborbiculare, compressum, flavo-viride, scabriusculum, pilosum, pilis mollibus adpressis vestitum, biloculare, loculis uniovulatis, stylus basi paullo pilosiusculus, medio et apice glaberrimus, stamina non excedens, flavescens. Stigma simplex. Ovula funiculo brevissimo instructa, rhaphe appendiculata instructa.

In limoso-calculosis districtus York. Septb. 12. 39 legit Preiss et distrib. sub Nro 1324. Specim. vidi in Hb. Reg. Berol. et Lehm.

GENUS II. PLATYTHECA Steetz.

In Lehmann. Plant. Preiss. I. 220. — Walpers Repert. Botan. Syst. Vol. V. p. 70. Nro 5644. a. Walpers Annal. Bot. Syst. Vol. II. 87.

Charact. Generis. Calyx 5 partitus corollam subaequans. Corollae petala 5, libera, calycis sepalis alternantia. Praefloratio induplicata, petala utrinque involuta, ad apicem usque sepalis valvatis tecta, stamina non includentia. Stamina biseriatim disposita, decem inaequalia, series interior exteriore paullo longior, cujusvis seriei stamen unum petalo oppositum. Filamenta plano-compressa, brevissima, cum antheris continua, basi attenuata. Antherae compressae, quadriloculares, loculis uniserialibus, superne in tubulum ipsis longiorem gracillimum productae, dorso non sulcatae, ventre trisulcatae, tubulus poro apicali instructus. Pollen siccum tetraedriforme, flavum, laevissimum. Ovarium biloculare, compressum, ovatum, sessile, loculis uniovulatis. Ovula pendula, obtusa locum totum occupantia, anatropa, funiculo brevissimo angulo interno supremo appensa, inappendiculata. Stylus basi erectus, tum geniculatus, medio curvatus, apice erectus, simplex, stigma simplex, subcapitellatum. Capsulas cum seminibus frustra quaesivi: fide icon. Payerian. capsula ovata, bilocularis loculicide bivalvis. Semen solitarium in loculis, oblongum, utrinque obtusum.

Fruticuli graciles, ramosi, caulibus ramisque teretibus, foliis linearibus integerrimis margine revolutis, verticillatis, crassiusculis, glabris vel puberulis vestiti, pedicellis filiformibus, gracilibus axillaribus unifloris, solitariis rarius oppositis, floribus lilacino-purpureis.

Flores semel aperti non iterum clauduntur, nec coelo nubibus velato, nec tempore nocturno. Hanc Steetzii observationem in Hort. bot. Hamb. saepius confirmavi.

1. **Platytheca galioides** *Steetz.*

Caule subglabro, ramis glabris vel pubescentibus, foliis sessilibus verticillatis suboctonis linearibus crassis carnosulis margine revolutis acutiusculis, axillis penicillatis, pedicellis glabris vel puberulis solitariis vel oppositis filiformibus folia multo superantibus, floribus pentameris, petalis obovatis, mucronatis, antheris scabriusculis, ciliatis, in tubulum gracillimum ipsis sesqui vel duplo longiorem productis, ovario sessili ovato hispido, biloculari, loculis uniovulatis, stylo supra basin geniculato, torto, medio et apice recto, glabro, stigmate simplici, capitellato. Capsulam non vidi.

Pl. galioides Steetz l. c. I. p. 220. Nro. 1. Pl. Pr. II. 234. — Walpers Repert. Bot. Syst. Vol. V. p. 70. — Annal. Bot. Syst. II. p. 87. — *Tetrath. verticillat. Paxton* Magaz. of Botany Septb. 46. Nro 152 c. icon. — Tetr. speciosa Hort. — *Tremandra verticillata Hügel.*

in Parad. Vindob. fasc. XIV. c. icon. Walpers Annal. bot. Syst. I. 76. — Payer Annales des scienc. naturell. trois. Série Vol. XV. p.

Fruticulus elegans, ramis gracilibus flaccidis. Caulis erectus 1—3 pedalis, inferne propter foliorum delapsorum cicatrices articulatus, cortice purpurascente, nitente tectus, jam a basi ramosus, cum ramis glaberrimus vel subpubescens. Rami subsimplices, axillares, inferiores alterni, superiores oppositi, foliosi. Folia semper in verticillos disposita, verticillos hexa — dodecaphyllos formantia, sessilia, linearia, crassa, carnosa, margine tali modo revoluta, ut teretia videantur, utrinque glaberrima, vel sparsissime setulis albis vel in specimin. cultis pilis glanduliferis intermixtis conspersa, nitidula, acutiuscula, inferiora reflexa, suprema arrecta, 4—8 lin. longa, ½ l. lata, in caulis inferiore parte distantiora, superiora approximatiora, infra foliorum verticillos caulis articulatus paullisper incrassatus est, axilla foliorum dense penicillata est. Pedicelli axillares, solitarii, interdum oppositi, uniflori, filiformes, glaberrimi, vel versus apicem incrassatum subpuberuli, patentes, pollicares. Sepala 5, basi brevissime connata, lanceolata, acuminata, 2½—3½ lin. longa, purpurascentia, margine hinc inde pilis longis albis pilis glanduliferis intermixtis vestita, ceterum omnino glaberrima uninervia. Petala 5, obovata, mucronulata, sepalis paullo longiora, patentia, lilacino-purpurea, basi macula atro-purpurea notata, in brevem unguem flavescentem attenuata. Stamina 10, inaequalia, biserialia, quorum externa petalis opposita internis ovarium cingentibus petalis alternantibus breviora sunt. Filamenta brevissima, complana, cum antheris continua, ima basi paullo attenuata; antherae compressae, quadriloculares, loculis aequalibus uniserialibus, ovatae, extrorsum bruneo-purpureae vel lilacino-purpureae, scabriusculae, longitudinaliter sulcatae, margine et in sulcis hispidulae, ciliis longioribus albis intermixtis, introrsum minus hispidulae, pallidiores, sublaeves apice in tubulum anthera fere sesquilongiorem productae, tubulus medio tenus verrucis crebris, setulis rigidis minimis et pilis longioribus intermixtis obtectus, a basi in apicem ex purpureo sensim roseo, tum flavescens, supra medium usque ad apicem glaberrimus, poro terminali amplo instructus, oblique subtruncatus, tubuli antherarum interiorum exteriores superantes, graciliores, pollen tetraedrum subflavum, laeve, ceterum ut in eis antherarum exteriorum quas descripsi. Ovarium sessile, ovatum, compressiusculum, biloculare, hirsutum pilis glandulosis intermixtis vestitum; ovula solitaria in loculis, funiculo brevissimo pendula, undique pilis longis adpressis obtecta, inappendiculata. Stylus basi erectus, mox supra basin geniculatus, brevi spatio rectiusculus, tum iterum geniculatus, denuo rectiusculus, basi et intorsionibus duabus pilis patentibus diversae longitudinis obtectus, longitudinaliter sulcatus, supra intorsionem usque ad apicem glaberrimus, flavescens, stamina non excedens. Stigma simplex, capitellatum. Capsulam cum seminibus maturis nunquam vidi, suspicor semina matura arillo membranaceo ciliato instructa esse.

In arenosis umbrosis inter frutices densos ad Preston-Creek.

(Perth.) 30. 7. 39. leg. Preiss. et distrib. sub Nro. 1330, specim. vidi in Hb. Lehmann. et Reg. Berolin. Colitur in hortis pluribus.

β. pubescens mihi.

Ramis pubescentibus, foliis octonis-duodenis, supra paullo crebrius setulis minimis obtectis, pedicellis paullo magis puberulis, antheris in tubulum ipsis duplo longiorem productis, ovario hirsuto, stylo bis geniculato, stigmate simplici.

Platytheca Crucianella Steetz. in Lehm. Pl. Preiss. 1. 221.

P. galioide et viva et siccata cum P. Crucianella Steetz. accuratissime comparata convictus sum Pl. Crucianellam tantum varietatem habitu graciliore P. galioidis St. esse, quod jam cl. Steetz. l. c. suspicatur.

In regionibus interiorib. Australasiae meridionali-occidentalis mense Novemb. 1840, legit Preiss. et distrib. sub Nro. 1331. Specim. vidi in Herb. Reg. Berol. et Lehm. norm. Plant. Preiss.

2. **Platytheca crassifolia** *Steetz.*

Ramis subpubescentibus; junioribus glanduloso-pilosis (teste Steetz.) foliis semper verticillatis linearibus crassissimis marginibus tali gradu revolutis, ut teretia videantur, obtusiusculis, supra undique verrucosis, aculeolis rigidis patentibus obsitis, axillis dense penicillatis, pedicellis axillaribus solitariis rarius oppositis, filiformibus, folia superantibus, setulis brevissimis albis patentibus obsitis, antheris ovalibus, scabriusculis in tubulum basi setulis obtectum, verruculosum ipsis triplo longiorem productis, ovario subrotundo, hirsutiusculo, stylo supra basin torto.

Pl. crassifolia Steetz. in Pl. Pr. 1. 222.

Suffrutex. Rami validiores quam in praecedenti, teretes, inferne propter foliorum delapsorum cicatrices articulati, infra articulos paullo incrassati, cortice cinereo-fuscescente tecti, subpubescentes, foliati, praesertim apice confertim foliosi. Folia semper in verticillos tetra—decaphyllos disposita, sessilia, linearia, crassissima, pallide-olivacea, margine modo supra dicto revoluta, in superficie rugosa, undique aculeolis albis rigidis patentibus instructa, subtus subglabra, obtusiuscula, 4—6 lin. longa, ½ lin. lata, inferiora patentia, sensim adpressiora, in ramorum parte inferiore distantia, in superiore parte approximatius disposita. Verticilli ex ramorum articulis dense penicillatis exeuntes. Pedicelli axillares, solitarii ex foliorum verticillo, rarius oppositi, uniflori, gracillimi, filiformes, setulis brevissimis albis patentibus vestiti, praesertim apice incrassati, flavescentes, folia duplo triplove superantes. Sepala 5, libera, lanceolata, longe acuminata, 2—3 lin. longa, rubescentia, margine pilis nonnullis albis sparsis medio glanduliferis intermixtis obtecta, introrsum glabra. Petala 5, obovata, basi attenuata brevissime unguiculata, obtusa, sepalis fere tertia parte longiora, lilacino-purpurea, patentia, basi macula purpurea notata. Stamina 10, biseriatim disposita, series interna serie externa alternante longior, filamenta brevissima, plana, fere horizontalia, purpurascentia, antherae compressae, quadriloculares, loculis uni-

serialibus, ovales, extrorsum longitudinaliter trisulcatae, purpureo-bruneae vel purpureo-lucidae, hirsutiusculae, scabriusculae, introrsum pallidiores, laeves, subglabrae, apice in tubulum anthera duplo longiorem productae, tubuli basi purpurascentes, verruculosi, setosi, medio rubentes hinc setulis albescentibus et flavescentibus obtecti, apice flavescentes, glaberrimi, poro terminali amplo instructi, tubuli seriei interioris paullo longiores, gracillimi, ejusdem vestimenti. Ovarium sessile, viride, subrotundum, hirsutum fere villosum, compressum, biloculare, loculis uniovulatis. Stylus filiformis, staminibus brevior, basi hirsutiusculus, viridescens, supra basin geniculatus, medio et apice flavescens glaberrimus. Ovula funiculo brevissimo appensa loculum totum occupantia, ciliata. Semina matura c. capsula non vidi. — Stigma simplex, capitellatum.

In Australia occident. et merid. occid. leg. Preiss. Hb. et distribuit sub Nro. 1320. 1321. Specimina vidi in Herb. Lehm.

COHORS II EUTREMANDREAE.

GEN. III. TREMANDRA Rob. Brown.

Rob. Brown in Capt. Flind. Voyage II, 544. Vermischte Schriften I, 29. De C. Prodr. Vol. I. p. 344. — Steudel Nomencl. Botan. II. p. 697. Meisn. Gener. Plant. Vol. I. p. 20. Nro. 21. 2. — Endlicher Gener. Plant. Nro. 5645. p. 1077. — Walpers Rep. Bot. Syst. I, 249. V, 70. — Annal. bot. Syst. I, 76. II, 87.

Charact. Gener.

Calyx 5 partitus, corolla duplo vix brevior. Corollae petala 5, libera, calycis sepalis alternantia basi brevissime unguiculata utrinque involuta stamina geminatim segregata includentia. Praefloratio induplicata. Stamina decem, petalis opposita, aequilonga, uniseriatim disposita. Filamenta filiformia, brevia cum antheris articulata. Antherae obtuse quadrangulae, oblongae biloculares, lateribus dorso et ventre longitudinaliter sulcatae, tubulo destitutae, apice poro terminali instructae. Pollen siccum ovale, flavum, rima longitudinali notatum, laevissimum. Ovarium sessile, ovatum, compressum, biloculare, ovula in loculis bina, superposita, pendula superiora funiculo brevissimo angulo interno supremo affixa, appendiculata. Stylus filiformis, rectus, simplicissimus, sulcatus, stigma simplex. Fructus non suppetunt.

Frutices ramosi, tomento stellato vestiti, foliis oppositis, ovatis basi subcordatis, brevissime petiolatis integerrimis vel grosse dentatis, repandis, pedicellis axillaribus unifloris, floribus purpureis.

1. **Tremandra stelligera** *Rob. Brown* ined.
Caule erecto ramoso, pilis stellatis et simplicibus albis denso tomentoso, foliis semper oppositis, petiolatis, ovatis, subundulatis vel remote crenulatis, margine paullo revolutis, supra asperis vel rugosis, subtus pilis stellatis densissime tomentosis vel albovelutinis, pedicellis axillaribus, solum ex axillis foliorum juniorum, unifloris, oppositis foliis dimi-

dio — triplo brevioribus, floribus pentameris, sepalis piloso-stellatis, petalis breviter unguiculatis, ima basi densissime barbatis, antheris decem, bilocularibus, filamentis filiformibus, antheris cum filam. articulatis, ovario sessili, ovato, compresso, pilis stellatis densissime villoso, bilocularis, loculis biovulatis, ovula pendulis, glabri, stylo filiformi recto, stigmate simplici. Capsulam non vidi.

Trem. stelligera Rob. Brown inedit.
De C. Prodr. I, 344. Nro. 1. — Steudel Nomencl. Bot. Vol. II. p. 697. — Dietrich. Synops. 1901. Nro. 1. — Steetz. in Lehm. Pl. Preiss. Vol. II. p. 234. — Walpers Annal. Bot. Syst. Vol. II. p. 87. — Tr. oppositifolia Steudel in Plant. Preiss. Vol. I. p. 222. — Walpers Repert. Bot. Syst. Vol. V, 70.

Frutex bipedalis. Caulis erectus ramosus, cum ramis ramulisque axillaribus brevibus, teres pilis stellatis simplicibusque albis longis intermixtis dense tomentosus. Rami oppositi, decussati. Folia opposita, decussata, petiolata, ovata, obtusiuscula (juniora paullo angustiora et acuminatiora) subintegerrima, vel remote undulata, vel irregulariter obtuse crenulata, margine paullo revoluta, penninervia, reticulato-venosa, supra nervis impressis flavescenti-viridia, rugosa, aspera, pilis stellatis hinc inde conspersa, subtus nervis prominulis alba, mollissime velutina, pilis stellatis ac simplicibus densissime vestita, inferiora 1½ — 2 pollic. long., 9 — 12 lin. lata, superiora nec non ramorum et ramulorum folia breviora et angustiora. Petioli teretes, 1—2 lin. longi, dense stellato-tomentosi. Pedicelli axillares uniflori, oppositi, ebracteati, crassiusculi, subpenduli pilis pellatis densissime tomentosi, 4 — 6 lin. longi, apice paullo incrassati. Sepala 5, lanceolata, acuta, membranacea, extrorsum ciliis albis et pilis stellatis conspersa, margine et introrsum pilis sparsis obsita, 2 lin. longa. Petala quinque, obovata, breviter unguiculata, sepala paullo excedentia, erecto-patentia, venosa, purpurea, utrinque glabra, ungue cuneiformi plano, margine pilis albis brevibus mollibus instructo, extrorsum subglabro, introrsum densissime pilis albis obsito. Stamina 10, filamenta filiformia, 1¼ lin. long. cum antheris concoloribus, antherae biloculares, obtuse quadrangulares, lateribus longitudinaliter sulcatae, sordide purpureae, undique setulis brevibus rigidulis patentibus albescentibus vestitae, cum filamento articulata, poro terminali amplo, marginibus oppositis hinc convexis, illinc concavis, dehiscentes. Ovarium sessile, ovatum compressum, pilis stellatis densissime velutinum, biloculare. Ovula in loculis solitaria, funiculo brevissimo appensa superposita glabra, appendicem supra chalazam minorem quam in Tetratheca observavi. — Stylus filiformis, rectus, 1½ lin. longus, ima basi pilis stellatis sparsis vestitus, ceterum glaberrimus, crassiusculus, summo apice attenuatus, utrinque longitudinaliter sulcatus. Stigma simplex.

Specimina fructifera non exstant. —

In Nov. Holland. orient. leg. Ferd. Bauer et Rob. Brown in Herb. Steetz. In turfosis umbrosis sylvae ad radices montis Elphinstone

(Plantagenet) 11. Octb. 40 leg. Preiss. et distrib. sub Nro. 1669. Vidi specimin. in herb. Reg. Berol. Lehmann. Sonder. et proprium.

2. **Tremandra diffusa** *R. Br. ined.*
Ramosissime diffusa, foliis ovatis, grosse paucidentatis, superne glabris subtus pilis stellatis, sparsis scabris.

De C. Prodr. I, 344. Nro. 2. — Steud. Nomencl. Bot. II. p. 697. — Dietrich. 1901. Nro. 2.

Quamvis operam maximam posui in hujus speciei impetratione, eam obtinere ac describere mihi non contigit.

In Nova Holland. meridion.-occidental. ad King Georges Sound. legit Robertus Brown.

Schuchardt, T.
Synopsis tremandrearum.

PRINT YOUR NAME

SIGNATURE

DATE (STAMP)